


No 12 Ho 1053



1. Dan: Hoffmann
Moderation ph. Me.
Cantonus. in
Job Schwilb vom f.
abn Duall, Helm.

2. Epistola jenen
de causa Victorini
1561

SEPTUAGINTA CHRISTI DISCIPULORUM, siue ut nonnulli codices habent, alijsq; probatur auctoribus, 72. nominum ἀποσημείωσις, & curriculum singulorum in Evangelij præconio historiolæ, e monumentis Ecclesiasticis depromptæ, ac secundum Dorothei seriem expositæ, à

M. MICHAELE VRANIO.

Smalcaldiæ,

M. D. LXXIX.

6. 8
6

7

OBSERVATIO.

*Iacobi minoris Apostoli Historia, cum Ob-
lia, quem ad 70. Discipulorum album aggrega-
gant, ab Ecclesiasticis scriptoribus omnino con-
funditur, nisi eundem cum illo statuas. Quo mo-
do Thaddæus cum in Apostolorum tum 70.
gradu collocatur. Dorotheus Iacobum mino-
rem seu Iustum in Apostolorum catalogo præ-
teriens ita: Simon cognomine Iudas, Iacobo
Hierosolymorum Episcopo successus est, quem
arbitror esse Iacobum Alphæi, &c. Quæ de re,
ut & in alijs sententiam non fero, cum proprio
cuiuslibet iudicio frui liberum sit, & uniuersa
Magdeburg. historie tractatio suis nitatur do-
ctoribus.*



RELIGIONE,
 VIRTUTE, INGENIO
 DOCTRINAQUE
 præstantibus, CHRISTOPHORO VVI-
 NERO, CASPARI GORINGIO,
 Theologis: IACOBO CORBERO
 & IACOBO BARCHFELDIO, le-
 gum Candidatis, liberalium artium Ma-
 gistris, ciuibus & popularibus
 suis longè carissi-
 mis.

Dæter Apostolos, quos aduoca-
 uit Iesus duodecim, qui comita-
 rentur se, quos deinceps ad pub-
 licè docendum dimitteret, præ-
 ditos potestate curandi morbos,
 & eijciendi Dæmonia, Mar. 3. quos δωδε-
 κάσυλον Ecclesiæ firmamentum nominat
 Iren. lib. 4. cap. 38. præfiguratos per 12. tri-
 bus seu patriarchas Iudæorum propagines,
 Theoph. in Matth. 10. per 12. tintinnabula
 depēdentia è podere seu pallio Pontificis, Iu-
 sti. dial. cum Trypho. per 12. fontes Elimæ-
 os, 12. gemmas in tunica Sacerdotis, 12. lapi-
 des è Iordane sublatos, & in arca testamenti
 conditos, Tertu. li. 4. contra Marcio. Amœ-
 nus in enchi, vete, testa. Pruden. Cathem.
 A 2 hym.

hym, 12. per exploratores totidem, Euseb. 3. demon. cap. 2. Quos Apostolos post resurrectionem Dominus, ut Clemens 6. Stro. e libro κηρύγματ^{ος} Petri recitat, ita affatus est: Elegi vos 12. Discipulos, iudicans me dignos & fideles esse ratus, quos ablegarem in orbem, ad denunciandum hominibus Evangelium, ut cognoscant, vnum esse Deum, per meam fidem, futura præmonstrantes, ut qui audierint & crediderint, salui existant, &c.

Præter hos, inquam, constituit Dominus etiam alios septuaginta, quòd messis copiosa esset, ut operarios in eam emitteret, qui publicarent regnum Dei, Luc. 10. atq; ut Theoph. ait, designat 70. Discipulos, propter eorum multitudinem, qui institutione egebant. Sicut enim agri frugiferi multos requirunt messorum, ita cum innumerabiles ad fidem essent perducendi, complures desiderabant magistros. Hic animaduertendum in codice Græco, cui Syriacus textus conformis est, 70. simpliciter exprimi, tametsi ad marginem γράφεται καὶ ἑβδομήκοντα δύο: in Latino vetere interprete, quem Hieronymum esse existimant, planè 72. extare. Notatum quoq; inuenitur in D. Vverneri exemplo, Bibliothecæ Vaticanæ Græcum apographum, priore huius capituli loco 72. legere. Annotârunt & Parisienses, ibidem 72. scribi, verùm sine vllius citatione exemplaris:

ris: posteriore verò loco secundum Græcorum codicum fidem, vnum ex Italia transmissum 72. habere.

Vtraque lectio suos habet approbatores, plures tamen in Græcorum eunt sententiam. Septuaginta inueniuntur apud Irenæ. lib. 2. cap. 37. & lib. 3. cap. 13. Quomodo 70. prædicabant, nisi prius ipsi veritatem cognouissent? Adstipulantur Athan. in synop. Elias in Nazian. ora. 4. Euseb. demon. lib. 3. cap. 7. hist. eccle. lib. 1. cap. 11. 13. lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 21. Ambrosius & Euthymius in Luc. 10. Damasus epist. 4. & concilij Neoc. canone 13. Theoph. ad Gal. 2. & Actor. 1. Quinam fuere tum præsentibus, quos Petrus alloquitur? Fortasse 70. illi adiuncti Apostolis, vnà cum alijs quibusdam ex ijs qui crederant, fortioribus & virtute præstantioribus. In 1. Cor. 15. Apostolos vocat: Deinde visus est Apostolis omnibus, addens: Fuerunt enim & alij Apostoli, vt septuaginta. In Luc. 10. cum 70. palmis comparat, de quibus Exod. 16. Num. 33. Sic Ambro. ser. 24. Secundo ab Apostolis gradu propter salutem hominum directos: & Hiero. epist. ad Fabiolam, minoris ordinis præceptores asserens. Interpres Iustin. in Tryph. tam salices quam palmas exponit. De quibus allegoria Theophylacti obseruanda est: Israelitæ à Mara profecti venerunt Elim, vbi 12. fontes erant

rant, & 70. palmæ, ibiq; castra collocârunt
ad aquas. Quod igitur tū temporis δὲ ἀἰσορί-
αυ καὶ ὡς ἐν τύπῳ factum est, nuac verè e-
uenit. Elim significat ascensum, quod nihil
aliud vult, quàm ne cum Iudæis perseueremus
in litera legis, sed ascendamus in Chri-
stianismū ad perfectiorem intelligentiam &
incrementum spirituale. Philo lib. 17. portas
interpretatur. Hiero. robore valentes, vt in-
telligamus ἰσχυροτέρους καὶ ἐπιεικετέρας se-
cundū Theophy. communi principum ap-
pellatione, qua Elim, id est, potentes dicun-
tur, Exo. 15. Additq; Theoph. Inuenimus
12. fontes, præcipuos illos Apostolos dico,
qui omnis doctrinæ dulcissimi fontes sunt.
Inuenimus item 70. palmas, nimirum 70.
Discipulos, qui fontes quidem non dicuntur,
palmæ tamen sunt, veluti qui ab Apostolis
educandi atq; instruendi erant. Nam licet
eos elegerit Christus, inferiores tamen extia-
terunt illis 12. & Discipuli eorundem ac co-
mites. Palmæ igitur istæ à fontibus, Aposto-
lis inquam, enutritæ fuere. Nobis autem fru-
ctum dulcedine iucundum quodammodo &
austerum suppeditârunt. Talis enim sancto-
rum doctrina est, non omnino suavis & assen-
tatoria, neq; prorsus acerba & instans verbere
torro, sed vtriusq; particeps, & reuerà condi-
ta sale, gratiamq; habens, Col. 4. Eandem
collationem tangit Amœnus in Enchir. vete.
testa. Deue-

Deuenerunt viri Mose duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alij vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas, qui mysticus Elim (xit.
Lucus, Apostolicum numerum libris quoq; pins.

Philo de profu. Celebrat Moses septena-
rium numerū, multiplicatum per denarium,
nunc 70. palmas memorans, alias 70. solos
seniores, quibus datus est spiritus Dei pro-
pheticus. Totidem iuueni mactantur ad e-
pulum solenne festi tabernaculorum per 7.
dies, incipiendo à 13. Quò referendum eti-
am, quòd candelabrum è 70. partibus com-
positum docet, Ioseph. 3. antiq. cap. 8. Eun-
dem numerum vt mysticum laudant & per
exempla deducunt, Clem. 6. stro. Nazia, ora.
44. Iustin. quæst. 69.

Seniorum typo utitur Euseb. 3. demon.
c. 2. Moses coëgit, qui populo præesset, eiusq;
sustineret onus, magistratum è 70. senioribus,
Num. 11. cuius imitatione David constituit
70. Iudices (quod σὺν ἑξήκοντα μαίους, καθ' ἑ-
ξῆς, Gazith & Sanhedrin Thalmudistis se-
cundum Petrum Galatinum, Philo de tem-
poribus 72. senatoribus ad portam mandati
cōstitisse testatur, 2. Esd. 3.) Ita Seruator ipse
declarauit 70. Discipulos. In Menologio
quoq; Græcorum 4. Ianu. 70. Discipulorum
& Theretisti memoria extat.

Epiphanius hære. 20. meminit septua-
ginta duorum, quem numerum in eodem ca.

A 4

pit

pite ter inculcat. Et Prudent. contra Mani-
chæ.

*Quid cum sanctiloquus reuoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
Corpore, perq; atavos cursu relegente vetustos,
Septenos decies conscendit Christus in ortus
Et duo : nam totidem doctores misit in orbem.*

Consentiunt Augustin. lib. 2. quæst. eu-
ang. & Anacletus episto. 3. ad Apostolorum
adiumentum electos 72. Discipulos, quorum
Presbyteri locum teneant. Beda in 28. Exo.
Si Iosephi verbis intendere voluerimus, qui-
bus dicit, in tunica Pontificis mala 72. fuisse,
& eiusdem numeri tintinnabula, congruit
hoc figuris mysteriorum, vt sicut in humero
ac pectore Apostolicum ferre numerum iussus
est : ita etiam Discipulorum 72, qui & ipsi ad
prædicandum missi sunt, circa pedes nume-
rum adsignatum haberet. Lyranus in Luc.
10. Septuaginta duobus hunc honorem con-
tulit, quod post assumptionem Christi in cœ-
lum prædicaturi erant fidem gentibus 72.
linguarum : quarum auctores totidem è tri-
bus Noëi filijs procreati duces. turrisq; Baby-
lonicæ structores fuere. Epiphan. hære. 1.
& 39. Sedulius lib. 3. ita :

*Discipulos alios, quorum mens conscia recti,
Puraq; simplicitas meritò numeroq; resurgens
Aurea libra fuit, &c.*

Quod vtriq; sententiæ accommodari potest.
Siqui-

Siquidem Pollux Babylonio talento minas
72. tribuit, Aelianus 72.

Et fortasse conciliari ista poterant, quo-
modo de 70. interpretibus vulgata est opi-
nio, cum 72. fuerint. Senos enim ex vnaquaq;
tribu delegerat Eleazarus. Ioseph. 12. anti.
cap. 2. Philo de Mose lib. 2. Iusti. ad gentes.
Clem. 1. Strom. Irenæ. lib. 3. cap. 25. Euseb.
8. præpa. cap. 1. & histo. eccles. lib. 5. cap. 8.
Athanas. synop. Hilar. Psal. 2. Hieron. præfa.
pentateu.

Septuaginta duos interpretes planè me-
morat Epiphanius. de mensu. & in compen. Cum
in deserto 72. stirpes palmarum essent. 70.
nominantur, & 70. in montem vocatis, Nu-
me. 11. reperiuntur 72. cum Eldado & Meda-
do: & 72. fieri, qui interpretati sunt legem
tempore Ptolemæi: Verùm compendij gra-
tia solemus dicere interpretationem 70. Eo-
dem modo Romæ cum 35. tribus essent, &
terni ex singulis tribubus eligerentur ad iu-
dicandum hasta proposita, licet quinque ampli-
us quàm centum essent, quò facilius nomina-
rentur, centumviri dicti sunt: & quamvis e-
tiam decemviris sacrorum alij sint additi, ita
ut ad 60. excreuisse dicantur, semper tamen
15. viri nominati sunt. Simile quiddam de
nobilibus Franciæ machærophoris anteam-
bulonibus, honoratioris comitatus, & custo-
diæ causa centum institutis, qui regi ades-

A 5 sent,

sent, annotat Vincen. Lupanus lib. i. de magist. Franco. His enim postea centum alij adscripti, addito quoque praefecto, tamen propter numeri integritatem appellandi quoque compendium, etiam hodie Centenariae turmae nomen conferuant.

Binos autem Discipulos ante se praemisit Dominus in omnes vrbes & loca, vbi versaturus erat Luc. 10. quemadmodum etiam Apostolorum ablegantur paria, iubentur quoque vicos obire Mar. 6. ne qua sollicitudine aut instrumento grauetur, sed liberè atque expedite effectum dent, quod exequendum sit. Id enim indicat Christus, cum sandalia circumferri, quae prioribus detritis inducant, & obuiam venientibus salutem impertiri vetat, ne vel minima res obstaculo sit itineri. Itaque Matth. 10. bacillorum quoque plurium in futurum copiola interdicitur, cum vnus virgae apud Marcum permittatur gestatio. Theoph. ita: Neque baculum haberi finit, quod exactae paupertatis est, neque peram, aë, panem, tunicas sumi, ne sermonis curatio negligatur: vel quod omnem necessariorum vsum suppediaturi sint hi, quos instruendos suscipiant. Hilar. in Matth. 10. ἀλλυγορικῶς explicat: Calceamenta tolli prohibet, vt in terra sancta, quae peccatorum spinis non obsidetur, nudis insistamus pedibus, quod Moysi praecipitur, non alium ingressus nostri, quam eum quem

quem à Christo accepimus, habentes appa-
tum. Baculi penuria iniungitur, ne externa
potestatis iure indigere videamur.

Sed vt ad priora redeam, è 70. Discipu-
lis binos huic ministerio destinat Christus, qui
publicè doceant, mores corrigere, vt alacri-
ores sint, iuxta Theophy. Quòd si plures le-
gasset quàm duos, non suffecisset numerus in
plures pagos, Duos igitur ἐκβάλλει. Præstant
enim vni duo, quibus est bonum sui laboris
præmium, Eccles. 4. Et rursus: Vt tutiores
sint, atq; alter alterum adiuuet, siquidem mu-
tuis auxilijs constant omnia, Eurip. sup. σω-
τε δ' ὕ' ἐρχομύω Hom. ilia. 10. Aristo. 3. poli.
cap. 12. Cice. ad fam. epist. 7. lib. 9. ad Attica
lib. 9. epist. 4.

Lyranus quatuor causas adfert: 1. Sola-
tium mutuum, Nam si ceciderint, alter alte-
rum alleuabit. Et si vincatur vnus, resistent
duo, Eccle. 4. 2. Adminiculum in tradendis
quasi per manus operis, vt vnus castimoniam
alterius, reliquorumq; donorum custos esset.
Sic melius duo defendunt retinacula nauem,
Proper. lib. 2. eleg. 23. 3. Confirmationem
propagandæ veritatis, vt ex ore duorum te-
stium de omni negotio decerneretur, Deut.
19. Matth. 18. 2. Cor. 13. Et apertè dicitur Io-
han. 8. Duorum hominum testimonium esse
verum. 4. Caritatis indicium, quæ requiri-
tur in præcone cœlestis doctrinæ secundum
Grea

Gregor. quòd qui caritate erga alterum præditus non est, ad Ecclesiæ functionem obeundam minimè sit idoneus.

Catalogum 70. Discipulorum vsquam extare pernegans, Euseb. histo. lib. 1. cap. 13. subiicit: Barnabas vnus ex illis fuisse dicitur, cuius in Apostolorum rebus gestis Lucas præcipuè mentionem facit: nec minus Paulus Galat. 2. 1 Cor. 9. Eius allegat scripta, Clem. 2. & 5. Strom. Ex his & Sosthenem esse ferunt, qui vnà cum Paulo Corinthijs scripsit, 1. Cor. 1. Actor. 18.

Historia verò apud Clem. 5. hypoty. Cepham quoq;, de quo Paulus Gal. 2. Cùm venisset Cephas Antiochiam, ego ei in os restiti, quoniam reprehendendus erat: Vnum perhibet esse ex 70. Discipulis, eiusdem nominis existentem cum Apostolo. Et Matthiam, qui in locum Iudæ proditoris surrogatus est, ac simili honoratum suffragio Iosephum Barsabam Iustum, eandem esse 70. Discipulorum vocationem sortitos narratur, Acto. 1. Thaddæum quoq;, quem iussu Domini Thomas ad Agbarum sanitati restituendum misit, ad illorum referunt numerum. Hæc Euseb. Sed alieniora sunt, quæ de Cephæ cuiusdam $\epsilon\mu\omega\nu\upsilon\mu\alpha\varsigma$ cum Paulo disceptatione memorat, cum fieri possit, vt etiam inter amicissimos exoriatum dissidium. Et in græcis exemplaribus magno consensu legitur $\pi\acute{\epsilon}\tau\epsilon\sigma$:
quam

quamuis ad marginem adscriptum sit κκφ̄ᾱς.
Nec alterius Cephæ existimatio tantum va-
luisse putanda est, vt Barnabam & reliquos
ad sese pertractos abripuerit. Quod si conce-
damus, Cephæ diuerso, quem Caniæ episco-
pum facit Dorotheus, Antiochiæ negotium
fuisse cum Paulo, quibus euincetur argumen-
tis, Petrum Antiochiæ primū præsedisse,
constituentem ecclesias in Asia, & postea mi-
grasse Romam? Theophy. sic: Neq; nos di-
cimus, Petrum ignorantem, quid factū opus
esset, à Paulo increpatum esse, sed æquo ani-
mo sustinuisse obiurgationem, vt alij emen-
darentur.

Idem Euseb. subiungit: Inuenies autem,
si obseruaueris, plures fuisse Seruatoris Disci-
pulos, quàm septuaginta: Quam ad rem vti
poteris testimonio Pauli, 1. Cor. 15. qui Chri-
stum post resurrectionem tradit primū ap-
paruisse Cephæ, deinde 12. postea plusquam
500. fratribus semel, quorum pleriq; adhuc
erant superstites, nonnulli obdormiuerant.
Deinde conspiciendum se exhibuisse Iacobo.
Erat autem is ex illorum numero, qui Disci-
puli fratresq; Seruatoris fuisse feruntur. Tan-
dem, quasi præter hos quamplurimi ad mō-
rem 12. fuerint Apostoli, qualis & ipse Pau-
lus erat, addit: Postea visus est Apostolis om-
nibus. Sed hæc assertio, præter Apostolo-
rum chorum, qui perpetuus & indiuiduus ad-
hæsit

hæsit Christo, alios adscitos fuisse, quibus ag-
gregetur Paulus, ex adducto testimonio ne-
quit elici.

Epiphanius hæc. 20. post Apostolorum
12. enumerationem hæc subdit: Porro dimi-
sit Iesus alios 72. ad prædicandum, è quorum
numero fuerunt septem viduis præfecti, Ste-
phanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Ti-
mon, Parmenas & Nicolaus, Acto. 6. qui nu-
merus Archidiaconorum Episcopo mini-
strantium alibi promiscuus ad horum simili-
tudinem seruatus est, Sozo. lib. 7. cap. 19. vt
de Laurentio Pruden. *ἑπτὰ σέφά*. Hic primus
è septem viris, qui stant ad aram proximi: de
Vincentio: Minister Altaris Dei, septem è co-
lumnis lacteis. Tametsi Theophy. illos septem
non Diaconorum ordinem, sed Presby-
terorum nomen ac dignitatem adeptos esse
arbitratur.

Prior his septem, vt est in Epipha. exti-
tit Matthias, qui Iudæ vicem excepit. Post
electionem illorum Marcum, Lucam, Iustum,
Barnabam & Apellen: Rufum, Nigrum &
reliquos 72. cooptauit (hos vniuersi conse-
cuti sunt) & vnà cum his Paulum, vt expleret
Apostolicam doctrinam, propria voce de cæ-
lo præconem creauit gentium. A quo com-
pertum est S. Lucã, qui in Collegio 72. spar-
sim peregrinantium fuerit, assumptum, eiusq;
sectatorem factũ esse, *συνεργὸν καὶ συν-
ταξάμενον*

ἑωτλω, hoc est, coniungentem operas in fun-
ctione Euangelij. Haetenus Epipha.

Sunt tamen, qui 70. Discipulorum no-
mina omnino percensere studeant, e quibus
ea memoriae mandarunt, Nicephorus, Calli-
stus, Xanthopulus & Dorotheus. De Nice-
phoro licet non ignorem, quae ferantur sen-
tentiae, tamen exemplum me tuebitur Came-
rarij V. CL. quocum errare malo, quam cum
alijs vera sentire, vt de Platone scribit Cice-
r. Tuscu. Is Camerarius inquam, in epistola,
quam Nycephori Byzan. Chronologiae pra-
fixit, de Callisto liberum faciens iudicium,
eius scripta fatetur esse referta partim nuga-
toris ac ridiculis, partim impijs & perniciosis
fabulis. Eiusdemq; parem cum Abdia futili-
tatem notat in ὁμιλ. & Iohan. II. Sed nihil-
ominus excerpta de Nicephoro 70. Discipu-
lorum nomina graecis versibus complexus
est, & historiae Christi attexuit, quos expri-
mere latinis conatus sum. Nicephoro patro-
cinatur Iohan. Langus in notis ad Iusti, Mar-
ty. eumq; subleuare poterant, quae in calce
primi lib. cap. I. posita sunt: Quamobrem
pero, si quae a nobis in toto hoc opere recte
sunt exposita, vt ea extra inuidiam sint collo-
cata, quae optimis quibusq; rebus imminere
consuevit. Sin vero in aliquibus ignorantia
lapsi sumus, vt ab alijs, qui & eruditione & fa-
cundia atq; etiam experientia maiore sunt
praediti, corrigantur.

De Dorotheo Tyrionum Episcopo & Martyre, cuius $\sigma\omega\theta\eta\iota\varsigma$ cum historia Ecclesiastica coniunctam V vol. Musculus primum in lucem protulit, fortè Nicephorus Constantinop. in Chronol. Valentis imperio factus Martyr fuit S. Dorotheus, obiectus in venatione feris, ab Arianis. Eius memoriæ festiuitas peragitur 5. Iunij in Menolog. græc.

Dorotheum quoq; Presbyterum magnopere commendat Basil. epist. 10. 52. 57. 70. qui laudabili rectæ fidei zelo ducatur, & Ecclesiarum videre pacem exoptet. Quem etiam Euseb. lib. 7. cap. 31. disertum à se cognitum scribit, Hebrææ linguæ dantem operam, neq; disciplinæ Græcorum expertem: atq; ab imperatore purpuræ Tyri tingendæ præfectum, quam præposituram Baphiorum vocant.

Hos itaq; Nicephorum & Dorotheum Tyrium in hac 70. Discipulorum serie duces atq; auctores habeo, quorum narrationes quantum fidei mereantur, alijs decernendum relinquo. Theodorum certè lectorem è Nicephoro sua Collectanea excerpere, eosq; qui græcum Euangeliorum codicem accuratè ediderunt, argumenta Dorothei præponere non piguit.

Atq; in hoc datam qualemq; meam operam vobis doctis. viri D. D. D. D. ijs ratio-

tio-

tionibus, quæ subsequenter, inductus. Teq̄
cum primis appello VV I N E R E, quocum
in eodem patrio ludo sum doctus, quem in
Academia studiorum socium habui. Postea
vbi diuulsi sumus, cum vterq̄ scholæ præfe-
cturam gereret, tu Gothæ, quam à Gothis
aliq̄, à soli fertilitate M. Io. Rosa denomina-
tam censebat : ego in oppido Cattorum Eli-
mo (quod nonnulli campum ceruorum in-
terpretantur, quorum copia fontes Elimo-
rum amârît : quamuis aliam superiùs origi-
nem demonstrauerim, nec me fugiat, esse, qui
Hersfeldiam ab Herolfo deducant) te simili-
um laborum in diuersa palæstra participem
veteris familiaritatis recordationem conser-
uasse lætor : & modò sacris initiatum, vereq̄
Χριστοφόρον, hoc est, Christo plenum effe-
ctum, mutua literarum colloctione, meisq̄
commodis consulendi studio tueri non ob-
scure perspicio : vt etiamsi separati simus, ea
animorum coniunctione vtamur, vtî non
modò te, quod amicorum γνῶσις est, Aristo.
9. Ethico. cap. 4. 9. Cic. ad Læl. & 5. Tuscu.
Plin. epist. 9. lib. 2. Auso. ad syag. alterum
eundem, & vt Clemens 2. Strom. ἐταῖρον ex-
ponit, ἐπεὶ ἔγωγε με cognoscam, sed etiam verè
Germanorum necessitudinem ab alijs anim-
aduersam & reipsa comprobata, non pos-
sim non facere, quin prædicem hac compel-
latione, & obsignatam in posterum atq̄ dura-
bilem

B

bilem

bilem in publico proponam. Nequeo etiam
quin exclamem cum Basil. episto. 4. è Psal.
55. O si quis alam suggereret mihi instar co-
lumbæ, qua nixus euagarer, vt commercio
tuo & alloquio fruens explerem desiderium
meum. Nam vilis amicorum est annona, bo-
nis vbi quid deest, Horatius lib. 1. episto. 12.
Quod autem maius vlcus, quàm amicus fiet
malus, Sopho. apud Clem. 6. stro. Itaq; sæpi-
us hoc repeto è Suida. ἀδελφὸς παρσίη. Sed
hæc æterno Deo, qui suæ quenq; stationi de-
stinat, & sæculis, in quæ incidimus, ita feren-
tibus permittenda sunt.

Secundo loco te affari libuit CASpar G.
domus diuinæ thesaurarie, ex diuite gaza
eius & recentia depromens & vetera, paren-
tis nomine, de quo inferius, hanc nuncupa-
tionem mihi subiiciente, quòd cum Hebræi
sermonis studio ad sacrarum literarum scien-
tiam fores aperienti te dederis, tum parem
Ecclesiæ administrationem nobiscum sorti-
tus sis, vt σώδ' ἄλλοι simus καὶ συγκληρικοί,
quemadmodum Canones loquuntur, σωδ' ἄ-
γδντες τῆ θεία παρακλήσει, à pastorum ma-
gistro reseruatum ἐν τοῖς ἐπιδρανόσις, nun-
quam flaccescentem iustitiæ gloriæq; coro-
nam assecuturi.

Nunc ad te conuertor CORBEre, qui
similiter versatus es mecum in gymnasio pa-
trix, nunc iure ciuitatis communi vteris.
Non

Non leuis autem coniunctionis igniculus
est, easdem auditiones eosdemq; doctores
colere. Nazian. ora. 30. Cumq; natura socie-
tas inter omnes constet, maior est, vt quisq;
proximè accedit. Itaq; ciues potiores sunt,
quàm peregrini, in Lælio. Neq; discrepant à
Theologiæ deditis ea quæ à te exercentur
legum studia, quibus vestigandis à me quoq;
nonnihil laboris impensum est, dum edicta
ciuilia ad Mosaicam νομοθεσίαν accommo-
dare studerem, de qua præclare Grego. sen-
ten. eleg.

Ὅτι γὰρ ἐν λογίοισιν ἐστὶ νόον ἀπὲρ ἄριστον,
ἰδίῃς ἐπιθεσίῳ ὡς δ' ἀπ' εἰς νομίμων.

Si responsa Dei cura meditare fideli,

Consultus superi nomine iuris eris.

Cuiusmodi apud Iudæos erant νομικοὶ
καὶ γραμματεῖς, explanatores legis, ac ve-
luti grammaticam scientiam profitentes, Epi-
pha. hære. 15. ad eum modum, quo Canoni-
ci iuris cum ciuili cognitio hodie coniungi-
tur.

Quòd si libèret hîc in arenam descende-
re cum Iureconsultis, aut Philosophos prouo-
care, aut vtrosq; etiam cõmittere cum Theo-
logis, ad examen vocari posset scientiæ sin-
gularum definitio.

Philosophia (antea enim σοφία, hoc est,
sapientia dicta, quæ nunc Philosophia) dici-
tur esse diuinarum & humanarum rerum

scientia, caussarumq; quibus hæ res conti-
nentur, cognitio. 4. Tusc. 2. de fin. 1. & 2.
offi. Plutarchus de placi. Philo. Seneca epist.
90. Clemens Strom. 1. 4. 6. addit : compre-
hendens & præterita & futura. Nazian. ora.
21. Archytas distinctionem facit apud Stobæ.
serm. 1. Sapientiam appellans cognitionem
numinis rerumq; diuinarum, ac prudentiam
humanarum rerum, & eorum, quæ vitam
spectant.

Qui respondent de Iure, eandem sibi
vindicanes : Iurisprudencia, inquiunt, est
diuinarum & humanarum rerum noticia : Iu-
sti & iniusti scientia. L. 10. ff. eod.

Quid religionis interpretes? Theologia
est diuinarum humanarumq; rerum, & eo-
rum, quæ caussa cuiusq; sunt, scientia. Basi, in
Prouer. Harum itaq; professionum Antisti-
tes, si certamen ineant, acri dimicabitur præ-
lio. Philosophi ad argutias suas & Elenchos
confugient. Iureconsulti legum præsidio sese
munient, & lecturarum plaustra conuehent.
Theologi Deo, cuius agitur caussa, propug-
nante, non cedent loco, neq; castris se exui-
patientur, sed auctoritatem, αὐτὸς ἔφα, atq;
erymon suum allegabunt. Quid enim aliud
Theologia sonat, quàm rerum diuinarum
doctrinam, seu rectam differendi de Deo ra-
tionem, Nazi. ora. 2. Sed litem eis intendere,
qui ætatem in litibus conterunt, Philosophis,
2. leg.

2 leg. vel his inferre, qui lites consarcinant,
Jurisconsultis, secundum Ammianum non
vacat periculo. Itaq; comperendinare placet,
vel potius te arbitrum aduocare BARCH-
FELDI, qui tametsi studio legum addictus
es, tamen iudicium parentis sequens, hanc
causam optimè disceptabis. Is enim præter-
quam quòd ius suggerens, & senatui præsen-
tiam suam commodat, & in foro clientibus
consilia communicat, artem insuper medici-
næ ea diligentia excolit, vt exactè facere no-
rit, & petentibus adhibere non dedignetur:
tum in Theologia pertractanda ira se abdidit,
vt eximiam eius scientiam sibi comparârit.
Hæ nimirum sunt $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\tau\epsilon\varsigma$, quæ connexæ sta-
bili fœderis vinculo finguntur. Quemadmo-
dum enim sunt inter se communia sacra Poë-
tis, diuersum quamuis quisq; sequatur iter, li.
2. de ponto, eleg. 10. Sic in separata cuiusq;
scientiæ facultate & professione, firma tamen
& perpetua omnium artium societas est.

Itaq; parens tuus non ab re Theologiam
cum Iurisprudencia & medicina copulat, vt
diuinarum legum sapientia humana ac ciuiles
instruat, & animorum cura corporis mede-
lam præeat atq; subleuet. Sic Tertullianus in
Rom. legibus exercitatus, Euse. lib. 2. ca. 2.
Sic Triphyllius Ledrensis, Episcopus diser-
tus, diu admodum, quò legum cognitionem
exquisitè perdisceret, Beryti commoratus
B 3 fuit,

fuit, Sozo. li. 1. ca. 11. Sic Theodotus animo-
rum curam & corporum remedia calluit, Eu-
seb. lib. 7. cap. 31. Sic Zenobius martyr opti-
mus medicus est habitus lib. 8. cap. 13.

Quæ tamen non eò pertinent, vt admi-
nistris Ecclesiæ patrocínio reorum agendo
operari, aut ægris numerata mercede medi-
camenta propinare atq; admouere liceat: sed
vt artem quæuis alit regio, secundum Sueto-
nium, ita variam imbibere scientiam, si ca-
pax animus, nec pluribus intentus ad singu-
la minor sit, neq; officit ingeniorum cultus
& ad partes instituti rectè peragendas ma-
ximum emolumentum habet. Sed hæc ha-
ctenus, ne à proposito longius aberrer ora-
tio.

Vt verò Theologos duos, totidemq; le-
guleios cognomines coniunctim nuncupem,
non solum eæ, quas posui, rationes mouerunt
me, par ferè ætas, patria cū terrena, tum cun-
ctis in sublime volantibus, & superna quæ-
rentibus vna, Naz. or. 11. in adolescētia con-
fortium, affinia manumq; sibi inuicem porri-
gentia studia, idem Magistrorum gradus li-
beralium artium, quem titulum Philosopho
quidem augustiorem, vt Stur. in epist. asseue-
rat, auctore tamen Tullio, bis quod sciam, v-
so, nempe de senec. & 1. inue. defendere pos-
sumus: verum etiam Iacobi nomen in 70.
Discipulorum ordine primū sese offerens,
com^a

commune duobus iuris sacerdotibus, quos
Oblia cognomine admonitos iusticiam tueri
debet: De quo Iacobo, non quid sacrae lite-
rae (hoc enim à pluribus praestitum) sed Ec-
clesiastici scriptores memoriae prodiderint,
breuiter perstringam.

De etymo nominis, quod Patriarchae pri-
mo inditum est, saltem hoc obseruandum: ab
Esauo falso & ad contumeliam conficto en-
thymemate supplantatorem dici, quod altera
se vice supplantauerit, Gen. 27. cum ex manu
quidem & calce, sed alio significatu nomen sit
compositum, Gen. 25. quae paronomasia in
vertendo perit. Irenaeus lib. 4. cap. 38. hanc
notationem affert: Manu prehensens calca-
neum aduersarij, id est, victoriam obtinens,
Philo de sacri. Abel. Iacob laborem & pro-
fectum significat. Clem. 1. Strom. exponitur
exercitator. Eusebius 7. praepa. cap. 3. athle-
ta sese exercens. Et lib. 11. cap. 4. supplantator,
quasi certamen peragens. Basil. in Esa. 2.
supplantator ob fortem luctam contra infli-
ctas aduersitates. Hilar. in Psa. 53.

Iacobus cognomento minor (ad differen-
tiam filij Zebedaei, qui Maior dicitur, quod
prior eius fuerit vocatio, Petr. de narra.) &
Iustus ob virtutis ἔξοχλή, ac Oblias (tam-
etsi sunt, qui Iacobum Oblia ab Alphæi filio
diuersum faciant) quod praesidium & iu-
stitia

Ia.

B 4

stitt-

stitiam, seu munitam populi iustitiam deno-
tat, Euseb. lib. 2. cap. 23. Epipha. hære. 78.
& frater Domini, quod è Iosepho procreatus
esset, Euseb. lib. 2. cap. 1. cum Alphæi filius
perhibeatur Mar. 3. Luc. 6. quia teste Isidoro
lib. 7. Maria coniunx Alphæi, fuit soror ma-
tris Domini, quam Mariam Cleophæ Iohan-
nes cognominat, à patre seu familia, siue qua-
cunq; alia causa nomen ei imponens, & Al-
phæum interpretatur millesimum seu do-
ctum.

Petrus de nata, sequens Abdiæ histori-
am, ideo fratrem Domini dictum fuisse exi-
stimat, quòd & forma corporis & moribus
Christo fuerit quàm simillimus, ac pro eo sæ-
pe habitus: immo & is, quem Iudæi, Chri-
stum capturi, pro Iesu comprehenderint. Sed
hanc opinionem alij probabilioribus rationi-
bus euertunt.

Epiph. hære. 29. & 78. Iacobus Iosephi
legitimus erat, non è Maria, sed priore coniu-
ge filius Dominiq; frater, ob conuersationem
seu conuictum, quòd cum eo educatus sit.
Sophronius ait, Iacobum Iosephi ex alia v-
xore fuisse filium, à nonnullis asseuerari: sibi
autem videri, Mariæ etiam sororis matris
Domini filium fuisse. Quod & Hiero. aliquot
in locis indicat, vt 1. Cor. 9. Galat. 1. vbi se-
cundùm cognationem, inquit, frater Domini
Iacobus dicitur, quoniam de Maria Cleophæ
soro-

sorore matris Domini natus est. In libro vero aduersus Heluidium, prolixè ostendit Alphæi (Mat. 10. Mar. 3. Luc. 6. Actor. 1.) & Mariæ Cleophæ filium fuisse Iacobum, Iacobi nusquam meminit. In Matth. 12. hoc modo repetit: Quidam fratres Domini de alia vxore Iosephi filios suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum, & à quadam Escha muliercula. Nos autem fratres Domini, non filios Iosephi, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, Iosæ & Iudæ, quos & in alio Euangelij loco fratres Domini legimus appellatos: si quidem fratres etiam natura, gente, cognatione & affectu denominantur. Hieron. ibid. Dicitur est frater Domini, 1. propter egregios mores, & incomparabilem fidem sapientiamque non modicam. 2. quòd primus in Ecclesia præfuerit, quæ prima in Christum credens ex Iudæis fuerat congregata.

Hic primus Episcopi sedem in Hierosolymitana Ecclesia suffragio Petri, Iacobi maioris & Iohannis, qui licet à Domino alijs essent prælati, gloriam tamen hanc sibi non vindicarunt, adeptus est, Clem. 6. hypo. anno Christi 33. Tiberij 19. Beda & Nauclerus Theophy. in Act. 21. virum magnum atque admirabilem, & cap. 1. probum modestumque nominat, cui propterea communi commodo

B 5

pro-

proposito reliqui solium concesserint, ne cum eo contenderent. Et rursus Clem. lib. 7. Iacobo Iusto, & Iohanni & Petro post resurrectionem suam Dominus scientiam tribuit, qui reliquis Apostolis tradiderunt: Apostoli deinceps 70. Discipulis, è quorum numero erat & Barnabas, Euseb. lib. 2. cap. 1. & lib. 7. cap. 18. Sed hoc non ἀπλῶς affirmandum, cum è Luca constet, in omnes Apostolos Spiritum sanctum effusum, iuxta mensuram donationis Christi, Ephe. 4.

Idem Iacobus auctore Epiph. hære. 78. Nazyræus extitit (quod eidem sanctum significat, quæ dignitas primogenitorum erat Deoꝝ deuotorum, & à Nazoræis Nazara- isq; distinguitur) ac sacerdotio functus est, eiꝝ soli permissum, semel in anno sanctua- rium ingredi, & insigne tegmen πέταλον, id est mitram (aliꝝ laminam seu bracteam conuertunt) in capite gestare. A vino te- metoꝝ abstinuit, nihil animatum gustauit, virginitatis vsq; ad vitæ occasum custos: neq; capiti eius admota nouacula, non vn- ctus oleo, nec balneis vsus est, neq; lanea ve- ste, sed sindone amictus est. Atq; traditur hunc relicta sindone profugisse comprehen- so Christo, utpote qui vnico tantum pallio per omnem vitam contentus fuerit, cum aliꝝ velint fuisse Iohannem Euangelistam, Theo- phyla, Mar. 14. Elias in Nazianz. ora. 11. Bartho.

Barthol. de Salig. scribit, monstrari locum
hodie, in quo Iacobus capto Iesu sese abscon-
derit, dicens, se inde non exiturum, nec
comedurum panem, donec resurgeret Chri-
stus. Hiero. Gal. x. ingredientem per plateas
multa agmina insecuta, vt fimbriam vestium
eius attrectarent, ipsumq; perpetuam casti-
moniam tutatum esse memorat. Quodq; pro-
cumbens assidue populo veniam pacemq; ex-
posceret, obducta callo genua eius Cameli
instar obriguere. Tempore siccitatis cum sub-
latis manibus precatus esset, protinus de caelo
pluuia demissa est. Euseb. lib. 2. cap. 23. ex
Hegesip. lib. 5. Epiph. haer. 78.

De Martyrio eius, quod in 62. annum
Christi, quo Albinus Iudææ præfectus erat,
incidit, Iosephus antiq. lib. 20. cap. 18. Ana-
nus pontifex, Sadducæus, ingenio ferox, sta-
tutum coram concilio fratrem Iesu Christi
Iacobum nomine, & vnâ quosdam alios tan-
quam legum violatores lapidandos tradidit:
quod factum omnibus in ea ciuitate bonis &
legum studiosis displicuit. Id repetitur ab
Euseb. lib. 2: cap. 23. Niceph. chrono. Ana-
niam vocat. Dorotheus in templo prope
aram sepultum tradit. Euseb. lib. 2. cap. 1. &
23. Festo Iudææ præside mortuo $\epsilon\upsilon\ \tau\eta\ \alpha\upsilon\alpha\gamma\text{-}$
 $\chi\iota\alpha$ Iacobum, qui fidem Christi pernegare
nollet, fastigio templi deiectum, ac fullonis
fuste percussum e Cle. 7. hypo. refert, itemq;
Epiph. haere. 66.

Sed fusius ex Hegeſippi ꝯ. commen. Euseb. ibidem cauſſam genusq; necis describit: Ex hæresibus, quæ in populo obtinuerant, nonnullis Iacobum, quodnam eſſet ostium Iesu, interrogantibus, respondit, hunc eſſe Seruatorem. Hæreses verò memoratæ nec resurrectionem, nec venturum aliquem credunt, qui suis cuiq; factis digna persoluat. Cùm igitur multis Principum à Iacobo persuasum eſſet, vt crederent, tumultus exitit Iudæorum, Scribarum ac Phariseorum, dicentium: Periculum est, ne totus populus Iesum hunc tanquam Christum expectet. Itaq; coacto synedrio compellant Iacobum: Quæsumus te, vt compescas populum, qui ad ferias Paschatos aduolauit, & errorem eius de Iesu cohibeas, siquidem omnes attestamur tibi, quòd iustus sis, nec spectes hominum personam: Quamobrem supra pinnam templi confiste, vt ex edito loco conspicuus sis, & ab omnibus verba faciens exaudiri queas. Moxquè in templi pinnis constituto, acclamant: Iuste, cui parère cunctos æquum est, denuncia nobis, quod sit ostium Iesu crucifixi. Quibus elata voce respondit: Quid de Iesu filio hominis quæritis, cum ipse sedeat ad dexteram magnæ potestatis, venturusq; sit in nubibus cœlestibus. Cui complures assensi, cùm Deum de testimonio Iacobi collaudarent, accinentes, Hosianna filio Davidis. Iterum Scribæ &

bæ & Pharifæi inter feſe dictitabant : Male actum eſt, quòd eiufmodi testimonium Ieſu præbuimus : Verùm agite, comprehendamus eum, vt reliqui metu coërciti fidem ipſi non adiungant. Ac vehementer reclamantes : O, ô, & Iuſtus corruptus deſciuit : comprobârunt ſcripturam Sapien. 2. Inſidiamur Iuſto, quandoquidem nobis eſt incommodus, & noſtris aduerſatur operibus. Ascendentes itaq; præcipitârunt Iuſtum, & lapides in eum coniecerunt. Nondum enim expirauerat, ſed conuerſus poſitis genibus precatus eſt : Obſecro Domine Deus Pater, ignoſce eis, neſciunt enim quid faciant. Quem cùm lapidibus impeterent, è Sacerdotibus quidam Rechabita, Charabimi filius (Epipha. hære. 78. Symeon Cleopæ F. Iacobi è ſorore nepos) exclamat : Abſiſtite, miſſumq; facite. En interpellat pro vobis, & optima precatur Iuſtus. Quo audito, fullo arripiens instrumentum, quo veſtes excuti purgariq; ſolent, martyrium eius perfecit. Is eodem loco humatus eſt, & cippus iuxta templum etiamnum viſitur. Sophron, annotat, inſcriptionem monumenti deinceps Titi & Hadriani temporibus adhuc conſpectam. Atq; his ad hunc modum ex Hegesippo expoſitis, Euse. addit : Erat hic Iacobus adeò iuſticiæ nomine celebris, vt etiam Iudæorum ſapientes tam ſubitò martyrium eius conſecutæ Hieroſolymorum obſidionis cauſam

non

non aliam, quàm scelus hoc admissum existi-
stiment: idèq; Iosepho his verbis attestante:
Hæc acciderunt Iudæis ultionis gratia prop-
ter Iacobum Iustum, qui frater erat Iesu,
quem Christum nominant. Iudæi siquidem
illum, cum iustissimus esset, occiderunt, anno
ætatis eius secundum Epipha. 96. cum vixis-
set post Saluatoris assumptionem annis plus
minus 24. Solium illius ad sua vsq; tempora
asseruatum monstrari asserit Euseb. lib. 7.
cap. 18. cum quidem Nazia. in sent. eleg. fla-
gitium esse scribat, mortuorum reliquias ve-
nerari.

Hic Iacobus Apostolorum conuentu ha-
bito, cum Antiochenis quidam iugum legis
obtrudere conarentur, verba faciens monitor
fuit, vt quid facto opus esset, Christianos è
gentilibus conuersos per epistolam certiores
redderent, & grauissima rituum seruitute li-
berarent, Acto. 15. & 21. quam epist. Socra.
lib. 5. cap. 21. integram inseruit. Cle. 4. stro.
Catholicam vocat, à Paulo administro ad fi-
deles perlatam. & ab prohibitis in hac neces-
sario abstinendum docet. Ex ijs verò, qui cer-
tamen illud commouerunt, Cerinthum fuisse,
tradit Epipha. hære. 28. De hac epistola nihil
nisi diuersas lectiones visum est apponere. In
Epiph. exordium est tale: Ἐγνωμὴ Ἰακώβου ἐξ
ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐλθόντας, καὶ ταράξαντας ὑμᾶς
λόγοις, οἷς ἔδιδεσθαι, hoc est: Cogno-
uimus

uimus, quosdam ex nobis ad vos venisse, &
 conturbasse vos verbis, non mandatis à nobis.
 Cùm in Actis ita legatur: ἠκρότατον, οὐ λυγρῶς
 ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, ἀ-
 νασκάνάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν: Audiui-
 mus, vt quidam à nobis profecti vos sermoni-
 bus turbauerint, labefactantes seu euertentes
 vestros animos. Irenæ. lib. 3. cap. 12. omittit
 suffocato, idè omnino putatur ab alio incul-
 catum, cùm abhorreant Iudæi ab esu suffoca-
 ti, sua sponte, non legis interdicto, quæ pro-
 fertur ex Leu. 19. Additur tamen in Tertul.
 apol. c. 9. & Augu. l. 12. cōtra Faustum c. 22.
 Postea Iren. subiicit, quæ in nonnullis etiam
 græcis libris perscripta sunt, congruentia cum
 Mat. 7. & Lu. 7. Quæcumq; non vultis, vt vo-
 bis alij faciant, eadem quoq; vos eis ne facito-
 te, obuersantes in spiritu sancto. Quæ autem
 initio orationis suæ Iacobus à Simeone, vide-
 licet Petro, qui & Simon, commemorata nar-
 rat, ea Theophyla, ad Symeonis apud Lucam
 vaticinationem refert: Nunc dimittis, &c.
 Neq; hoc prætermittendū, quòd Epiph. hæc.
 30. ab Ebionæis hinc extructas Iacobi scalas
 proponit, cuius expositiones templo, sacrifici-
 is, igni in ara contraueniant.

Idem Iacobus vel consilium de voto de-
 dit, vel alijs suadentibus consentiens per-
 fecit, vt raderetur Paulus, omnesq; ritus
 Iudaicos perageret, Actor. 21. non quòd ani-

animus eius immutaretur (quia res vitio & culpa non vacasset, secundum Theophy. Errorem ꝑ tolerabilem vocat August. cum nec omnia tam exiguo spatio mutare potuerit, & synagogam cum honore sepeliendam putauerit, vide August. epist. 11. & 19.) sed quod caritas sese demitteret, atq; infirmioribus accommodaret. De qua lustratione Philo in sacrif. Epipha. hære. 29. Sed ritum perspicue patefacit Ioseph. lib. 2. bel. Iuda. cap. 15. Conflictantes morbo vel alijs difficultatibus, mos est vota facere 30. dies, antequam immolent hostias: abstinere quoq; vino, & capillos radere. At hæc quo pacto conciliari possunt, cum Acto. 24. vbi Paulus affirmat, se non plures 12. compleuisse dies, ex quo Hierosolymam ad Deum adorandum accesserit: & cap. 21. propemodum absolutis 7. diebus, quæ fortassis ad deuotionem septidui Num. 6. pertinent. Sed hæc alterius loci & exactioris cognitionis fuerint. Theoph. Act. 21. sic: Erat consuetudo, vt qui voto obstricti erant, caput raderent post expiationem, atq; ita diebus 7. rem diuinam pro sese facerent.

Huius Iacobi fertur esse epistola, quæ inter Catholicas prima est, quam Euseb. lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 22. pro adulterina seu non authentica habet, cum pauci è veteribus mentionem eius faciant, tametsi publicè in pluri-

plurimis Ecclesiis legatur. Et lib. 6. cap. 13. epistolis catholicis contradici ait, Sophron. Vnam Iacobus tantum scripsit epistolam, quæ de 7. catholicis est: quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur. Athan. synop. de auctore non ambigit: sicut & Damas. lib. 4. cap. 18. Epipha. ad Ioha. Hieros. Hiero. prolo. epist. cano. Syri etiam, qui protinus ab Apostolorum temporibus Euangelia 4. & Epistolas canonicas in suam linguam transtulere, cum Græcis Iacobum Apostolum agnoscunt.

Ne quid tamen dissimulem, sunt qui Iacobum Obaliae seu Obliae statuunt alium ab Apostolo Iusto, seu minore, Alphæi F. Iudæ Dominiq; fratre, & illi quem non in Apostolorum censu, sed numero 70. Discipulorum collocant, epistolam hanc tribuant. Quod alij non admittunt, suæq; sententiæ rationes afferunt.

In manibus etiam est $\pi\rho\omega\tau\epsilon\upsilon\alpha\ \gamma\epsilon\lambda\iota\omicron\upsilon\ \text{Ia}^c$ cobi, quod otiosi Monachi somnium esse non dubitat D. Chytræ. in Onom. tametsi ad narrationes Luc. 1. 2. & Mat. 1. 2. non inconcinne accommodatum. Nam quòd in antro Christum natum ibi dicitur, ad expositionem Euseb. lib. 3. de Constan. cap. 42. & lib. 4. cap. 46. quadrat. Similiter Epiphan. hære. 51. qui etiam in spelunca circumcisum refert hære. 20. idq; de stabulo accipiendum, quod

C

spe-

speluncam nominat Theophyla. in Matth. 1.
& Hieronym. qui in villam Bethlehemicam
secesserat. Adhæc qui ista loca peregrinan-
do obiuere, Borchardus & Barthol. de Salig.
antrum subterraneum in rupe excisum, duo-
rum asinorum capax, memorant, vbi moris
fuerit disponere præsepia.

Nunc historia Iacobi explicata, reliquo-
rum è Dorotheo synopsis præter ea, quæ in
sacris literis habentur, delibari ordo postu-
lat.

2. **TIMOTHEUS** patre Græco, matre Iu-
dæa, Eunice natus, auiam Loidem habens,
Act. 16. 2. Tim. 3. Lystris, vt existimatur, in
lucem editus, quod Paulus cum ibi primùm
inuenerit, Ephesiorum Episcopus, 2. Tim. 4.
Euse. lib. 3. cap. 4. in horum vrbe Euange-
lium exorsus, ad Illyricum vsq; & in vniuersa
Hellade denunciauit, vbi & mortuus, & ho-
noricè sepultus est. Vinum non bibit, Atha.
ad Dracon. Eum tamen Ephesi, quod ad por-
ticus templi Dianæ propius accedens idola-
triam redargueret, palis & lapidibus obru-
tum tradunt Antonin. & Vincen. lib. 38. cap.
10. ex Polycrate, Henricus Erphor. qui tem-
pore Neruæ occisum refert: Niceph. li. 3. ca.
71. Domitiani. Reliquiæ eius Constantino-
polin asportatæ sunt anno 21. imperij Consta.
Hier. chro. 8. cal. Iul. Theod. Lector l. 2.

Titus

TITVS Græcus, Gal. 2. Epipha. hæ- 30
re. 28. in Creta præsidens, Euseb. lib. 3. cap.
4. & finitimis insulis Euangelij præconium
fecit, ibiq; morte obita honestè elatus est.
Dorothe. Hieronym. catal. Sophron. vitam
cælibem degit, quemadmodum & Timothe.
Ignat. epist. 6.

IOSES cognomine **BARNABAS**, quod 46
Lucas non frustra explicans, refectionis fili-
um seu consolationis interpretatur, Leuita,
natu Cyprius, Acto. 4. Epiphani. hære. 30.
(qui eundem facit cum Iosepho Barsaba Iu-
sto, Acto. 1. sed negat Theophy.) cum Romæ
de Iesu verba fecisset, Mediolanensium Epi-
scopus constituitur. Euse. li. 1. ca. 13. & li. 2.
c. 1. Salamine Cypri vrbe à ludæis crematur,
laqueis extra portam protractus, Marul.
lib. 5. Petrus de natal. Bergom. qui & di-
uersa ei itinera in Italiam, Lombardiam &
Galliam Cisalpinam assignat, ac Mediolani
vixisse prodit. Clem. lib. 1. recog. Barnabam
primùm venisse Romam, ibiq; Ecclesiam
plantasse auctor est. Euse. li. 3. cap. 22. & li.
3. ca. 12. 13. nothis scriptis accenset epistolam
Barnabæ. Hiero. in Ezech. 43. apocrypham
nominat. Tertullianus meminit, Barnabam
pro auctore epistolæ ad Hebræos à quibus-
dam habitum.

Illius tamen Epistolæ testimonijs vsus
C 2, est

est Clem. 2. 5. 6. stro. Inter cæteras eius sententias hæc est: Væ, qui sibi sapere videntur, & scientiam sibi arrogant. Et lib. 5. Lex permittit ijs vesci, quæ diuisas vngulas habent & ruminant, significans, adhærendum ijs, qui timent Dominum, animoq; meditantur sermonem eius: qui in ore habent & obseruant decreta. Et mox: simplicius vobis scribo, vt intelligatis. Iterumq; li. 6. explicans dictum Psal. 118. Cum apertæ sint multæ portæ, quæ consistit in iustitia, ea est in Christo, in quem quotquot ingrediuntur, beati sunt. Petrus de nata, ægros in Cypro Barnabam sanitati restituisse per impositionem Euangelij Matthæi memorat. Theodo. lib. 2. collec. narrat in Cypro repertas esse sub ceraso Barnabæ reliquias, habentes in pectore impositum Euangelium Matthæi, manu Barnabæ exaratum, cuius tabellæ fuere Thyinæ secundum Suidam. Quod Euangelium Zeno consecrârit in Palatio.

5. ANANIAS, qui Paulum sacro lauacro demersit, Damascenorum extitit Episcopus. Quem non vsq; adeo memorabilem ac insignem fuisse Theophyla. è timore eius coniicit Act. 8. & 9. eum in ordine Diaconorū ponit, quod testetur Paulus *ἐν τοῖς κανόσι*.

6. STEPHANUS Iacobo Episcopo inseruiens,

ens, Ignat. epist. 2. & 10. post Dominum pri-
mus, simulatq; χαριστονομία dignatus erat, ab
eiusdem occisoribus lapidatur, & martyrum
ex nomine coronam reportat. Eusebius lib.
2. cap. 1. Vnde Prudentius poemati suo titu-
lum fecit $\pi\sigma\iota$ σεφάων, quòd in eo laudes
martyrum celebret. Hieronymus ad Dama.
Bergom. & Petrus de nat. vnum ex 70. Di-
scipulis fuisse aiunt. De hoc protomartyre
peculiares extant Gregorij Nysseni & Ful-
gentij orationes, quas legere cuius in prom-
ptu est. Honorij anno 7. Gamaliel, vbi situm
esset Stephani corpus, Luciano Presbytero
per visum aperuit, Fulgo. lib. 1. cap. 5. &
Herm. Contrac. Theodorus lib. 2. reliquias
eius in templo Laurentij 27. Septem. deposi-
tas esse scribit, quo die memoria eius recolitur.
Meminit etiam Sozomenus lib. 9. cap.
16. Eudocia ad memoriam Stephani, tem-
plum splendore ac pulcritudine eximium,
non integro stadio ab Hierosolymis distans
extruxit, in quo postmodum condita fuit.
Euag. lib. 1. cap. 22.

PHILIPPVS ciuitati Asiæ Trallesi
præpositus fuit Episcopus, quem imponendi
manus potestate caruisse perhibet Epiphan.
hære. 21. quòd Diaconus duntaxat esset, nec
Episcopi vel Presbyteri auctoritate prædi-
tus, cui tamen in penuria Presbyterorum ba-

C 3

ptif-

7.

ptissimum administrare licuerit. Theophy. in
Act. 8. è Pauli regulis. De Indicho reginæ
Candaces (cui proprium nomen Iuditha fuit;
nam mulieres eius regionis imperium obtine-
re consueuerant, Theoph. Act. 8. Plin. li. 6.
ca. 29.) Eunuchò, qui à Philippo edoctus, &
ad urbem Bethzur baptissatus (Borchar. &
Barth. de Salign.) Euangelium apud Aethio-
pes prædicârît, vnde primitiæ fidelium è gen-
tibus dicitur, Iren. lib. 1. ca. 3. li. 3. ca. 12. li.
4. ca. 40. Euse. li. 2. ca. 1. huc accommodat
prophetiam Psal. 68. Aethiopia Deo manus
suas cursim dabit. Aethiopum Apostolum no-
minat Hieron. in Esa. 53. à quo B. Matthæus
postea eò missus, alacri animo exceptus fuit,
secundùm Abdiam lib. 7. Sophronius addit,
in Arabia Felice, Taprobana insula & vni-
uersa Erythra fecisse præconium, vbi glorio-
so certamine Christi nomine obierit. Cæsareq;
tranquilla morte decessisse Vincen. lib. 7. ca.
72. & P. de nata. lib. 5. ca. 91. referunt. Do-
roth. cœmeterium eius ait manimentum in-
superabile esse, Barbaros fugans, morbosq;
propulsans. De 4. filiabus Philippi virginibus
futura prædicentibus, quarum prauo æ-
mulationis studio Phryges seu Pepuziani suas
designârint prophetissas, Euse. li. 5. cap. 13.
14. 15. Epiph. hæc. 49. 78: 79. Philippi Dia-
coni seu Euangelistæ filiarum mentionem,
Eus. li. 3. cap. 28. & 36. Proclum ac Papiam
seu

sequens, cum Apostoli Philippi filiarum historia confundit, quarum duæ consopitæ sine Hierapoli, alia in sancti spiritus administratione versata Ephesi quiescat. Hierapoli ad tumulum earum quendam mortuum resurrexisse legitur ibidem, & apud Soz. l. 7. c. 26.

PROCHORUS cum sequentibus 4. vnus 8.
est 7. viris, ad ministerium Ecclesiæ cibo præbendo delectis. Theophy. Acto. 6. eos Presbyterorum nomen ac dignitatem habuisse arbitratur, qui tum temporis distributioni rerum necessariorum destinati sint. Prochorum Nicomediæ ciuitati Bithyniæ præsedisse testatur Doroth. Hiero. martyrol. Prochorus, vt de se ipse scribit, pater Stephani protomartyris fuit, & comes Iohan. Euangelistæ, quo tempore in Asiam ablegatus est. Cum eo satis diu commoratus, in Bithynia Episcopus designatur. Inde post multarum gentium conversionem à Iohanne missus Antiochiam, affectus est supplicio, ibique *κατακλιθησθεος* suum adeptus.

NICANOR cum collega Stephano alijsq; 9.
2000. in Christo spem suam reponentibus obtruncatur. Doroth.

TIMON Corinthi & Beroæ docet. Bos 10.
stri Arabum creatus Episcopus, à gentilibus comburitur. Idem. C 4 Par.

11.

PARMENAS in Apostolorum conspectu Diaconi fungens officio moritur. Idem.

12.

NICOLAUS Antiochenus profelytus, Sabriæ Episcopus, in alienam doctrinam lapsus, cum Simone à fide deficit. Eius sectatores in summæ impudentiæ libidines effusi, dictum ambiguum detorsere, frenandam esse carnem, ὅτι παραχρησάσθαι τῆ σαρκὶ δ' εἶ, quod alij vertunt, oportere carne uti : cum præceperit voluptates coerceri & cupiditates, ut carnis appetitiones atq; insultus hac exercitatione marcescerent. Clem. 2. & 3. stro. Eusebius lib. 3. cap. 26. Ibidem scribitur : Nicolaus cum formosam haberet conjugem, & zelotypiæ apud Apostolos esset accersitus, in medium productam nubere, quicumq; cuperet, permisit : cum ipse nulla prorsus alia, præter eam quam duxerat, coniuge sit usus, & è liberis eius fœminæ in virginitate consenuerint, filius incorruptus permanferit. Sed excusatur factum indignum excusatione. Nam promiscuè concumbere, & idolathytis vesci pro adiaphoris habuit, Irenæus lib. 1. cap. 27. seu potius pro bono quodam & sine beatitudinis. Ignatius epist. 6. Epiph. har. 25. Ausus est dicere, nisi quis singulis diebus Venerem exerceat, non posse participem fieri vitæ sempiternæ.

CLE-

CLEOPA S, qui & Simon Dorotheo, Iosephi frater, Domini consobrinus, hunc cum Luca, rus profectus, post resurrectionem vidit, & cum eo collocutus est, alter Hierosolymorum Episcopus. Theophyla. in Luc. 24. Epipha. hære. 23. pro Luca Nathanaëlem substituit. Sed Eusebius lib. 3. cap. 11. Simeonem Cleopæ F. Iacobo in hac parœcia successisse indicat, vt & Niceph. chronol. Epiphanius hære. 66. 78. Nyssenus ora. 2. de resur. Cleopa sine liberis mortuo, Iosephus relictam eius vxorem duxit, ex qua suscepit 4. mares, Iacobum, Iosen, Simonem & Iudam : 2. fæminas, Mariam Cleopæ, & Salomen, Theophyl. Matth. 13. 1. Cor. 9. In prologo Iohan. tres numerat, Martam, Esteram & Salomen. Hieronymus in epita. Paulæ, affirmat Cleopæ domum Emaunte à Domino consecratam esse in Ecclesiam : vnde colligitur, eo loci ortum & domicilium habuisse.

SILAS Corinthiorum diœcesin obtinuit, Actor. 15. 16. 17. 18. In Macedonia martyrium subiit. P. de nata. Inter noui testamenti Prophetas refertur ab Eusebio, lib. 5. cap. 15.

SILVANVS præfuit Thessalonicæ, Dorothe. ibiq; sepultus est. Petrus de natal.

2. Cor. 1. & 1. Tes. 1. præponitur Timotheo, qui forsitan hoc quadã animi demissione perijt, imitatus Paulum, Discipulos suos pari secum numero ducentem, Theoph. Alij Silvanum eundem cum Sila existimant.

16. CRESCENS Chalcedone Galliarum Episcopus, Euangelium diuulgauit, & regnante Traiano martyr factus, eodem in loco conditus fuit, Dorothei. A Paulo Viennæ relictus, auctore Addone. Vien. Moguntia prædicauit, Auen. 2. Ti. 4. Epiph. hæc. 51. Crescens abiit in Galliam. Non enim Galatia, velut quidam decepti putant, sed Gallia legendum est. Euf. l. 3. c. 4. & Soph. Crescens ab Apostolo missus in Galliam ὡς αὐτὸς μαρτυροῦται.

17. EPAENETUS primitiæ Achaia, Ro. 16. Carthagini præpositus fuit. Dorothei. Achaia deprauatum putatur occasione, 1. Cor. 16. In lati, libris & nonnullis græcis est Asia. Idem probat Origenes hoc loco, & in Num. homi. 11. Hiero. in Ezech. 43. Primitiæ dicitur, vel quod primus accepta fide aditum ad eam vniuersæ Achæorum genti patefecerit, vel quod maiorem præ cæteris pietatem commonstrauerit. Theoph.

18. ANDRONICUS Pannonia rexit ἐπισημοτέρως. Doro. cognatus Pauli, Rom. 16.

AMphic.

AMPLIAS Paulo carissimus, ad Odyssæ gubernationem accitus. Doro. Ro. 16. 19.

VRBANO Pauli σωτήριος Macedonia commissa est. Doro. Rom. 16. 20.

STACHYS ab Andrea Apostolo Bizantiæ præcone, qui ædem ad preces extruxerat ultra regionem Argyropoli, urbis illius Episcopus ordinatus est. Idem è Nicepho. lib. 2. cap. 29. Niceph. chrono. Rom. 16. 21.

APELLES in Christo probatus, hoc est, candidus & irreprehensus, quod ad differentiam alterius cuiusdam Apellis dictum esse suspicatur Theophy. Roman. 16. Epipha. hære. 20. & 44. Smyrnæ curationem ante S. Polycarpum sortitus est. Doro. Corinthi Theophy. Acto. 18. 22.

ARISTOBULO Ecclesiæ Brettaniæ (Britanniæ) delegatæ sunt. Doro. de familiaribus eius, Rom. 16. 23.

NARCISSVS, Patris in Achaia munus Ecclesiasticum obiit. Doro. Domesticis eius salus adscribitur, Rom. 16. Atq; eundem esse opinantur libertum, quem Claudio imp. ab epistolis fuisse Suetonius scribit. 24.

Hero-

25. HERODION ad eandem attendit Ecclesiam. Doro. Rom. 16. cognatus Pauli.

26. RVFO Thebarum Ecclesiae commendantur. Doro. Roma. 16. In Domino lectus dicitur, cuius matrem virtutis honorisque causa suam vocat Paulus. Theoph.

27. ASYNCRITVS Hircaniae, ubi doceret Euangelium, κληρόν nactus est. Doro. Roman. 16.

28. PHLEGON Marathonensem administravit Ecclesiam. Idem ibi.

29. HERMES Dalmatiae provinciam suscepit. Doro. Roman. 18. Ei libellus adscribitur, Pastoris titulum praeferens, qui extat inter Orthodoxographa, à nonnullis improbatus, ab alijs summopere necessarius iudicatus ijs, qui elementari introductione egent. Eusebius lib. 3. cap. 3. E canone excludit Athana. de syno. Nic. Clemens tamen ex eo quaedam allegat strom. 2. Quae Ecclesiam continet virtus, est fides, per quam servantur electi Dei, &c. Et lib. 1. Pastoris, quem penitentiae nuncium vocat, scriptum ad Hermetem citat de pseudopropheta. Sophronius publicè in Graecis Ecclesijs legi solitum tradit. Eusebius etiam lib. 5. cap. 8. Pastoris scri-

scriptum Irenæo probari demonstrat, addu-
cta sententia è lib. 4. cap. 37. rectè pronun-
ciauit scriptura : Primum crede, vnum esse
Deum, qui omnia condidit, fecitq; de nihilo,
vt essent. Repetunt Athana. ad epist. Afri.
Theodor. lib. 1. cap. 8. cc
cc

HERMAS Philippis præco fuit Eu- 30.
angelij. Doro. Rom. 16.

PATROBAS Episcopus Nepotio- 31.
lanus extitit. ibid.

AGABVS prophetico spiritu præditus, 32.
Eusebius lib. 5. cap. 15. De 70. numero Pet.
de nata. lib. 3. cap. 118. famem prædixit, quæ
inualuit anno 4. Claudij. Actor. 11. Eusebius
lib. 2. cap. 3. 8. 12. Epipha. hære. 48. 66. Io-
sephus antiq. lib. 3. cap. 13. tum temporis as-
saron 4. drachmis venisse ait. De subsidio ab
Helena misso, lib. 20. cap. 2.

LINVS Petro Apostolorum Cory- 33.
phæo Romæ surrogatur. Doro. Irenæ. lib.
3. cap. 3. Epiphan. hære. 27. Eusebius lib. 3.
cap. 2. 4. 29. & lib. 5. cap. 6. Theophy. in
2. Tim. 4. Huic ministerio 12. annis præfuisse
se tradunt, Euseb. lib. 3. cap. 13. Nicephorus
chronol. Volateranus lib. 22. anthro. & Sa-
bel. lib. 4. Enne. 7. Linus patria Volaterra-
nus

nus è familia Maurorum fuit. Sic enim in quodam veteri scripto eius vr̄bis legimus: Linum Volaterranum à patre Herculaneo, natum annos 22. studiorum causa Romam missum, ibidemq; in contubernio primùm Q. Fabij amici paterni, deinde venientem eo tempore Romam, Petrum omisis omnibus secutum fuisse, atq; ob eius egregiam fidem simul & eloquentiam, Euangelij coadiutorem illi permansisse. Martyr factus est Saturnino Cos. (vbi à Mariano Scoto dissentit) cuius filiam lymphaticam curauerat, sepultus in Vaticano. Conscripsit res à Petro gestas, præsertim cum Simone Mago concertationem. De qua Euse. li. 2. ca. 14. ex Iustini apolo.

34. GAIVS in Ephesiorum Ecclesia Timotheum excepit, Doro. hospes Pauli ac totius Ecclesiæ, Ro. 16. Existimatur Derbæus Act. 20. & solus cum Crispo baptizatus ministerio Pauli, 1. Cor. 1. Dorotheus Iohannis Diaconum nominat, cuius opera Euangelium sit editum. Addit Origenes, hunc postea factum Episcopum Thessalonicæ, In Ioh. 3. epist.

35. PHILOLOGUS Synopes Episcopus ab Andrea renunciatur, cuius vxorem Iuliam esse apparet. Rom. 16. Doro.

36. OLYMPAS Romæ cum Petro capite plectitur. Ibid. Rho.

RHODION (fortè Nereus) cum Pe- 37.
tro & Olympa similiter feritur gladio. Nice.
Doro. Rom. 16.

IASON Tarsi solium obrinet. Ibid. 38.
Hunc Theophy. eundem esse coniectat cum
eo, qui Apostolos hospitio accipiens, extre-
ma pericula fortissimè subinerit.

SOSIPATER Iconij sede potitur. Doro. 39.
cognatus Pauli, Rom. 16. Idem Sopater Bere-
rhæensis, Act. 20. In libris latinis & quibus-
dam græcis est, Sosipater Pyrrhi, sci. filius.

LVGIUS (fortè nomen idem cum Luca) 40.
in Syria Laodiceæ episcopatum capessit. Do-
ro. Ro. 16. Propheta Cyrenensis, Act. 13. Si-
monis Cyrenæi filius, Pauli consobrinus, in
Vindelicia & Rhetijs prouincijsq; Danubio
conterminis docuit. Auent. annal. Ioha. A-
postoli comes. Epiph. hæc. 51.

TERTIVS, amanuensis Pauli, fortè 41.
Romanus, qui epistolam ad Romanos exara-
uit, alter Iconij Episcopus legitur. Dorothei.
Theoph. Rom. 16.

ERASTUS Hierosolymitanæ Ecclesiæ Oe- 42.
conomus, postea ad Paneadis episcopatū euo-
catur. Dor. Theop. de Corinthi quaesurâ seu
procuracione accipit. Ro. 16. Act. 19.

43.

PHYGELLVS alienam doctrinam amplexus, & Simonem secutus, Ephesiorum præsul fuit. Doro. 2. Tim. 1. Cùm enim à Nerone comprehensus esset Paulus, deseruerunt eum, quotquot ex Asia Romæ tum præstò erant. Theoph. Rom. 16. Latini & Græci quidam habent Phigelus, alij φύγελλος. Hiero. epist. 127. Ambros. comm. latinum fortè nomen esse Figuli suspicatur Io. Camerarius. Phygellum à fuga deducit Areti. Vetus interpres legit Philetus, qui postea coniungitur cum Hymenæo.

44.

HERMOGENES quoq; alienum dogma inuehens, Magarensium Antistes factus est, Doro. 2. Tim. 1.

45.

DEMAS antea probatus fide, vt adiutor Pauli, Theophy. similiter deficiens, simulacrorum sacerdos Thessalonicae factus est. Doro. Cùm vitæ præsentis, hoc est, otij & quietis amore reliquisset Paulum. Colo. 4. ad Philem. 2. Tim. 4. Epiphanius hære. 51. Cerinthus & Ebion, qui purum hominem asserabant Christum, itemq; Merinthus, Cleobius seu Cleobulus, Claudius, Demas & Hermogenes contradicebant Discipulis, atq; ex genealogia Abrahami & Dauidis suam deitiam confirmare conabantur.

QVAR.

QVARTVS Beryti munere Episcopi 46.
fungitur. Doro. Rom. 16. Sunt qui Corinthi
ciuem censeant.

APOLLOS Cæsareæ curationem 47.
exercuit, Iudæus, natu Alexandrinus, vir e-
loquens, literis pollens. Doro. i. Cor. 1. 3.
15. Act. 18. 19. Tit. 3. exactius ab Aquila &
Priscilla institutus in via Dei. Hiero. ad Prin-
cipiam. Theop. ita : Affirmant quidam hunc
Apollo esse Apellen Corinthiorum Episco-
pum, quod an ita habeat, considerandum sit.
Nam aut binominis fuit iste vir, aut alioquin
alterutrum horum nominum in alterum mu-
tatum est.

CEPHAS eiusdem cognominis cum 48.
Petro, Episcopus Caniæ, quem Paulus An-
tiochiæ redarguit. Doro. Gal. 2. Hoc com-
mentum etiam arrisit Eusebio lib. 1. cap. 13.
cui non videtur consentaneum, eum, qui cau-
sam dixisset, quando cum Cornelio cibum
capiens nonnullos offenderat, rursus opus
habuisse huiusmodi obiurgatione. Qua de
re quid sentiendum sit, superius demonstra-
tum est. Athana. dialo. 38. legit Cephas pro
Petro.

SOSTHENES Colophoniadis so- 49.
lio dignatur. Dorothe. i. Corinth. 1. Euseb.
D lib.

lib. 1. cap. 13. synagogæ Corinthiorum Ms-
gister. Act. 18.

50. **EPAPRODITO** Adrianæ deman-
datur inspectio. Doro. Philippenſium Apo-
ſtolus dicitur, hoc eſt, docendi munus apud
eos gerens, & Pauli commilito. Phil. 2. 4.
Theophy.

51. **EPAPHRAS** Coloffenſium Do-
ctor, Pauli conſeruus, & captiuitatis comes.
Colo. 1. 4. ad Philemo. Camerarius arbi-
tratur eſſe deminutionem Epaphroditi, quo
nomine interpretatus fuit Sylla, id eſt, Fau-
ſtus. In Græco quoq; codice Baſil. & Chryſo-
ſtomi habetur Epaphroditus.

52. **CAESAR** Dyrrachij conſecratur E-
piſcopus. Niceph. Doro. Philip. 4. Epipha-
hære. 61. & Theophy. Neronis domum ſeu
regios intelligunt.

53. **MARCUS** Barnabæ conſobrinus, A-
polloniade legationem diuinam obit. Doro.
Col. 4. 2. Tim. 4. ad Phile. Auenti. ſcribit,
ſe in actis Sanctorum & Pontificum Laurea-
cenſium legere, Marcum hunc in Norico Lau-
reaci Euangelium docuiſſe, Chriſtoq; Eccle-
ſiam aperuiſſe, quæ & diu ibi manſerit, &
ampliata ſit.

[Iose-

IOSEphus siue Ioses, vt nonnulla exem- 54.
plaria habent, BARsabas, cognomento Iustus,
qui & Iudas Act. 1. & 15. Atq; hunc pluribus
nominibus designat Lucas, vel eorum, quæ
inter illos communia erant, nominum, vel tra-
ditionis vitæ mutatæ causa. Fortassis etiam ex
instituto profecta est hæc nomenclatio. The-
ophy. Is in sorte cum Matthia coniunctus, E-
leutheropoli factus est Episcopus. Dor. pro-
phético dignatus charismate. Euse. lib. 1. ca.
13. & lib. 5. ca. 15. Papiæ quoq; paradoxon
memorat lib. 3. cap. 36. quòd hic Barsabas
hausto letifero veneno nihil molestiæ Domi-
ni beneficio senserit.

A R T E M A S Lystris Episcopi partes 55.
sustinuit. Dor. Tit. 3.

CLEMens Romæ in Cælio ortus, Sabel. 56.
Ennea. 7. lib. 4. primus è Græcis seu extra-
neis ad Christi fidem adductus, & Sardicæ,
quam postea Triadizā nuncupârunt, ordinat9
est Episcopus. Dor. Phil. 4. Sab. Enne. 7. li.
2. Petrus Romam reuersus, Clementem E-
piscopum consecrauit, eiq; Ecclesiam com-
mendauit his verbis: Ego tibi eam & ligan-
di & absoluendi trado potestatem, quam
mihi Christus reliquit. Tu rebus omnibus vi-
tæ fortunæq; tuæ contemptis, doctrina &
oratione pium gregem, vt bonum decet

Pastorem, tueberis. Euseb. lib. 3. cap. 4. 14.
19. Clementem, cui tertio loco Romanam
Ecclesiam Anacletus credidit, Pauli coope-
rarium & commilitonem fuisse, ipsius testi-
monio probatur. Consentit Iren. lib. 3. ca. 3.
cuius verba descripsit Euse. lib. 5. cap. 6. vi-
dit ipsos Apostolos, & sermones cum eis con-
tulit, cum adhuc insitam prædicationem A-
postolorum & traditionem ante oculos habe-
ret, Petri & Pauli auditor. Ignatius epist. 1.
cælebs epist. 6. Epiph. hære. 27. Nice. chro.
Meti Euangelium promulgavit. Auenti. Ad
ancoram alligatus sub Traiano in mare pro-
iectus est. Hier. cata. Idem aduer. Rufi. Cle-
mens libros edidit, qui appellantur ἀναγνω-
ρισμός, id est, Recognitio, in quibus cum ex
persona Petri doctrina quasi verè Apostolica
in quàm plurimis exponatur, in aliquibus ita
Eunomij dogma inseritur, vt nihil aliud,
quàm ipse Eunomius disputare videatur. Ex-
tantq; non ita pridem diuulgati, prius etiam
à Rufino in latinum sermonem conuersi, vel
ij ipsi vel similes libri Recognitionum Cle-
mentis, in quibus de eius origine, patria, for-
tuna parentum, &c. prolixæ narrationes con-
texuntur. Eius epistolam vt authenticam, ad
Corinthios exorta seditione missam celebrat
Euseb. lib. 3. cap. 14. & lib. 5. cap. 6. ἱκανω-
τάτω γράφῳ appellat, quæ publicè in mul-
tis Ecclesijs recitetur. Alterius etiam Epistolę
Cle.

Clementi falsò tributæ meminit lib. 3. cap.
35. qua veteres non sint vsi: itemq; commen-
tiorum Petri cum Appione dialogos conti-
nentium. Peregrinationes Petri à Clemente
scriptas, & ab Ebionæis deprauatas, quos in
epistolis Encyclicis ipse refellat, Epiphanius
memorat hære. 30. Videtur huc respexisse
Hiero. lib. 1. aduer. Iouini. Clemens scripsit
epistolas, omnemq; pæne sermonem suum de
virginitatis puritate contexit. Citat & A-
thana. contra Arium in syno. Nic. Clemens
Petri sectator istiusmodi opinionem subruit,
videlicet Deum æternum non ex partibus
constare. Aliqui Clementem hunc epistolam
ad Hebræos interpretatum esse dixere, id
quod veritati consonum videtur Euse. lib. 3.
cap. 34. lib. 6. cap. 24. quòd similem dictio-
nis characterem, & Clementis, & ea, quæ ad
Hebræos perscripta est, epistola obseruet, &
vtriusq; sensus non omnino discrepent. Me-
minit quoq; Elias in Nazi. ora. 1. quanquam
alij ex Hebræo in Græcum sermonem à Luca
conuersam opinentur, Theophy. in Hebr. 1.
Eadem prorsus Hiero. seu quisquis auctor est
Catalogi: Scripsit Paulus ex persona Roma-
næ ecclesiæ, ad Ecclesiam Corinthiorum val-
de vrilem epistolam, quæ & in nonnullis lo-
cis publicè legitur, mihiq; videtur characteri
epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos
fertur, conuenire. Siquidem multis de eadem

epistola non solum sensibus, sed iuxta verborum quoque ordinem vtitur. Omnino grandis in utraque similitudo est. Idem ad Ephe. 4. Melius est, si vinculum Domini in charitate Christi dicemus. Cuius rei & Clemens ad Corinth. testis est, scribens: vinculum caritatis Dei quis poterit enarrare? & Eph. 2. Querimus, an & aliud saeculum sit, quod non pertineat ad mundum istum, sed ad alios, de quibus & Clemens in epi. sua: Oceanus & mundi, qui trans ipsum sunt. Incertum autem, utrum ex ea epistola, an ex alio Clementis scripto Basil. de Spiri. S. cap. 29. haec verba protulerit: Sed & Clemens Romanus: vivit

⁂ Deus, & Dominus Iesus Christus, & sanctus Spiritus. Ex Clementis epistola ad Corinthios Sibyllae vaticinia adducit Iustin. quaest. 74. Clemens Strom. 1. ex ea Sophisticae artis descriptionem allegat, quod facultas sit phantastica, seu quae viso percipitur, verbis opinioniones falsas tanquam veras ingenerans. Et

⁂ Strom. 6. Quod maior aliquis esse videtur, eodem

⁂ submissius sese gerere aequum est. Quae sententia congruit cum Sirac. 3. & 1. offic. Canones Apostolorum nomine falso circumferuntur, quos à Clemente Rom. conuersos perhibent.

57.

ONESIPHORVS Asianus, Coroniae docendi munus tenuit. Doro. 2. Timo. 1. & 4. Tychi-

TYCHICUS Chalcedone Bithyniæ primus Episcopi partes tulit. Doro. Ephe. 6. 2. Tim. 4. Tit. 1. Asiaticus Act. 20. 58.

CARPVS Berrhœæ in Thracia præsul de Christo prædicat. Doro. Alij Troadis Episcopum constituunt ex 2. Timoth. 4. apud quem libros maximè è membranis compactos & pænulam Paulus reliquerat. A quibusdam arca libraria intelligitur. Theophy. Alijs inuolucrum librorum legis, quod Hebræi voce Punica Mappam indigitant. 59.

EVODIUS primus Antiochiæ Petro successit. Doro. Euse. lib. 3. cap. 19. Nice. chro. cælebs. Ignat. epist. 6. 60.

PHILEMON, ad quem extat epistola Pauli, Gazenses instituit. Doro. Theoph. & Hiero. Phrygem genere, & Colossensem esse colligunt, cum quo connupta fuerit Appia, siquidem Colossæ metropolis erant Phrygiæ Pacatiana. Theophy. Onesimum seruum eundem esse existimat cum eo, de quo Col. 4. qui ad tantam dignitatem peruenerit, vt fidelis ac carus frater audiat. Hier. aduer. Iohan. Hieros. E seruo Clericum factum criminatur, cum & ipse nonnullos eiusmodi Clericos habeat, & Onesimum legerit, inter Pauli renatum vincula, Diaconum cœpisse esse de seruo. De 61.

D 4

One-

Onesimo^{us} Ephesiorum Episcopo, qui cum hoc idem habetur in Martyrol. Ignat. epist. 9. 10. 11. de Byzantino Niceph. chronol. Onesimus serui vel liberti dispensatoris nomen in vetere Atellana, quòd frugi & parcus esset. Suet. Galba. venit Onesimus à villa. Quod in Galbam iactârunt ob sordes eius. Fuit eiusdem nominis Plutarchus, qui cum Epicteto disseruit apud Fauorinum. Galen. de opti. discip.

62. ZENAS legisperitus, Diospoli præconium fecit. Doro. Tit. 3. Theophy. de Iudaicis legibus accipit. Hiero. ad Tit. Zenam legis Doctorem, de alio scripturæ loco, quis fuerit, non possumus dicere, nisi quòd & ipse Apostolicus vir id operis, quod Apollo, vir eloquens & perfectus in lege, exercebat, habuerit, Christi Ecclesias extruendi.

63. AQUILA Heracleæ diœcesin gubernandam adeptus est. Doro. Hic natione Ponticus vel aulæorum vel tentoriorum opifex, quo tempore Claudius imp. Roma Iudæos exegit, cum Priscilla coniuge migravit in Asiam. Acto. 18. Euse. lib. 2. cap. 18. Suet. Claud. Iudæos auctore Christo perpetuò tumultantes Roma expulit. Theophy. Claudij tempore, cum bellum aduersus Iudæos conflaretur, Dei voluntate contigit, vt hic vinc-
tus

ctus illuc abduceretur, ne tanquam Iudæus
eijceretur. Roman. 16. 1. Cor. 16. 2. Tim. 4.
De alio Aquila Nicepho. lib. 2. cap. 35. nar-
rat, quomodo Petrus Roma à Nerone eie-
ctus, in familiam Clementis, Romani postea
Episcopi venerit, & cum ipso fratres Aquila
& Nicetum conuerterit. De quibus mul-
ta fabulis haud dissimilia, vt de cognitione
horum fratrum post matrem inuentam, habet
Clementis liber 2. Alius fuit Aquila similiter
Ponticus, Sinuessæ, quæ & Sinope, ortus, qui
Hierosolymis baptizatus, repudiato Christi-
anismo Iudæis se coniunxit, & Hadriani tem-
pestate, 330. post 70. versionem annis sacras
litteras interpretatus est. Iren. lib. 3. cap. 24.
Euseb. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 16. Athan.
syno. Epiph. hæc. 64. & de mensu.

PRISCAS Colophone fuit in offi-
cio. Doro. ex Rom. 16. 2. Tim. 4. vbi tamen
Priscillam Syri, Latini & Græci omnes præ-
ter Complutensem editionem legunt. Ac
eiusdem mulieris nomen esse Priscan & Pri-
scillam, vero simile est. Eodem enim modo
Priscillæ nomen præponitur Acto. 18. Rom.
16. quo loco adiutores non modò doctrinæ
laborumq; participes, sed etiam tabernaculo-
rum seu taperium textores exponit Theophy.
Alia Priscilla Montani Pseudopphetissa fu-
it, Epiph. hæc. 48. 49. 51. Euse. li. 5. cap. 13.
16.

D 5

luni-

64.

65.

I V N I A S in Syria præstitit officium
Episcopi. Doro. Cognatus Pauli & nobilis
Apostolus, Rom. 16. Theoph. tamen Iuniam
fœminam esse cenfer.

66.

IOHANNES cognomine M Arcus, Ma-
riæ F. Acto. 12. Bybli diuinis rebus præfuit,
Acto. 13. 15. Euse. lib. 7. cap. 24. negat hunc
auctorem esse Apocalypseos. Theoph. Acto.
12. Euangelij scriptorem esse perhibet, cuius
opera Petrus suum ediderit: eamq; opinio-
nem sibi probari ait, quod Petrus & cæteri
Apostoli apud eum diuersati sint. Bartho. de
Salig. tom. 8. cap. 4. testatur se visitasse do-
mum Marci vnus ex 72. Discipulis, cuius lo-
co constructa sit prima Ecclesia Græcorum
Christianorum, quæ Suriensibus Episcopi se-
dem præbeat.

67.

ARISTarchi solum nomen ponitur à
Dorotheo. Macedonem fuisse traditur Acto.
19. & Thessalonicensem Act. 20. 27. peregri-
nationum Pauli & captiuitatis sociū, Col. 4.
ad Phile. Euf. lib. 2. cap. 22. Alij Episcopum
fuisse Thessalonicensem, & Christi nomine
sublatum è medio referunt. Vide Trophim.

68.

P V D E S seu Pudens, de quo Dorothe-
us similiter nihil commemorat, quàm quòd
à Paulo fiat eius mentio, qui par suppliciū lu-
erit, 2. Tim. 4. Euse. li. 3. ca. 2.

TROPHIMUM cum præcedentibus duobus, periculorum atq; ærumnarum Pauli consortem fuisse, & Neronis temporibus pariter capite multatos asseuerat Doroth. Asiaticus dicitur Acto. 20. Ephesius 21. Quo tempore ægrotans Mileti relictus sit, dubitat Theoph. 2. Tim. 4. Sunt etiam, qui alium esse putent. In Gallia docuit, & Arelati Episcopatum obtinuit. Addo Vien. 69.

His Marcum & Lucam Euangelistas annumerat Dorot. De priore sic:

MARCUS primus Alexandriae Episcopus, Euangelij ab Aegypto Pentapolin vsq; præco fuit. Ferijs Paschatos, quas Serapioni gentiles consecrârunt, sub Traiano Alexandriae fune in collum coniecto, à Bucoli seu bubulci locis, vsq; ad ea, quæ Angelorum siue nunciorum nomen habuere, pertractus, à simulacricolis combustus, & in Buculo sepultus est. Callistus lib. 2. ca. 14. Niceph. chro. Euse. li. 2. ca. 15. 16. Epiph. hæc. 51. tradit, hunc vnum fuisse ex 72. qui discesserit cum reliquis, offensus concione Ioha. 6. sed reuocatus à Petro & priore loco dignatus, Euangelium memoriæ mandârît. Id in gratiam auditorum Petri hoc flagitantium, vt doctrina eius literis comprehèderetur, conscriptum & Ecclesie legendum exhibitum. Iren. li. 3. cap. 70.

cap. 1. Et ex Clemente atq; Papia Euseb. lib. 2. cap. 15. lib. 5. cap. 8. lib. 6. cap. 13. referunt, id quod Petrus neq; prohibuerit neq; iusserit. Epipha. hær. 51. ait, iussu Petri hoc publicatum, à quo Marcus in Aegyptiorum regionem missus fuerit. Theoph. in argumento scribit, Deo patefaciente cognitum à Petro ac comprobatum fuisse. Athan. syno. à Petro Romæ, à Marco Alexandria, Pentapoli & in Libya prædicatum. Ex Papia quoq; & Origene testatur Euseb. lib. 2. cap. 15. & lib. 6. cap. 24. Marci mentionem fieri, 1. Pe. 1. ubi filium suum appellet (quod de Baptismi initijs accipiunt Theoph. & Hieron.) Quæq; prodidit Marcus, non eo ordine, quo dicta gestaq; sunt à Domino, composita esse, sed ut meminerat velut interpret, cum non audiuerit Dominum. Hieron. prolo. noui test. addit, nec vidisse. Et in prolo. Marci, Leuitam ac Sacerdotem in populo Dei eum nominat, qui in Italia suæ historiæ operas confecerit: utq; sacerdotio minus aptus haberetur, pollicem sibi amputârit. Marul. lib. 1. cap. 6. Martyrio occubuisse, 8. Neronis anno legitur apud Hieron. de vir. illust. Euseb. lib. 2. cap. 24. & in chron. Contrac. Euangelium eius cæteris prætulit Cerinthus, Irenæ. lib. 3. cap. 11. Barnabæ vitam à Marco græcè conscriptam testis est Beda, quem etiam latinè reddidisse ferunt. Niceph. lib. 2. cap. 43. scribit, Marcum

lib.
e fe-
neq;
hoc
rum
gu-
m a
o. a
nta-
noq;
. &
Pe.
ismi
a'q;
icta
d vt
iue-
dit,
n ac
qui
vtq;
cem
yrrio
pud
24.
ete-
. II.
tam
disse
Mar-
cum

eum imperio Tiberij, Aegypto, Libyæ & vniuersæ Barbariæ, Cyrenis quoq; & Pentapoli Euangelium annunciaſſe, Eccleſias conſtruxiſſe, & Clerum, Episcopos aliaq; neceſſaria ritè atq; ordine conſtituiſſe.

LVCA S natione Syrus, patria Antiochenus, arte medicus & profelytus, Hieron. quæſt. in Gene. Thebis à Paulo conuerſus, Nicepho lib. 2. cap. 43. Euangelium Petro, res ab Apoſtolis geſtas Paulo committentibus, in literas retulit. Quorum peregrinanti-um ſectator erat. Ephesi morte obita humanus eſt, tandemq; cum Andrea & Timotheo Conſtantij 20. anno Conſtantinopolin translatus. Doro. Hieron. chron. Has reliquias 5. Non. Mar. in magno S. Apoſtolorum templo collocatas ſcribit Theodo. lib. 2. collec. apud quas Dæmones rugiant, Hiero. aduer. Vigil. Schedel. ætate 6. hodie Patauij in templo luſtinæ aſſeruari tradit. Nicephor. lib. 6. cap. 16. addit, inſignem etiam fuiſſe pictorem, ac Chriſti, Mariæ, Petri, Pauli, aliorumq; Diſcipulorum imagines coloribus depinxiſſe. Idem Iacobus de voragine affirmat, teſtemq; producit Damaso. Accedit Theodo. Lector lib. 1. Pulcheriæ. Socia imaginem matris Chriſti, quam Lucas Apoſtolus pinxerat, Hieroſolymis miſit. Epiph. hære. 51. hunc in numero 72. Diſcipulorum reponit, qui ſer-
mone

mone Domini auersus retro abierit, & studio Pauli ad eundem conuersus reflexerit, ac Euangelij in Dalmatia, Gallia Italia & Macedonia præconium fecerit. Euseb. lib. 5. cap. 8. ex Iren. lib. 3. cap. 1. Lucas sectator Pauli id Euangelium, quod Paulus denunciauerat, volumine complexus est. Tertul. lib. 4. contra Marcion. Euangelium à Luca digestum Paulo adscribi solet, & capita magistrorum videntur, quæ Discipuli promulgârint. Idem Euseb. lib. 3. cap. 4. Lucas animarum nobis medicinæ, quam apud Apostolos acquisiuerat, specimina vel argumenta duobus voluminibus comprehensa reliquit. Ac de Paulo quidem perhibent, quòd Euangelij Luca mentionem faciat, vbi tanquam suum adducit, 2. Cor. 8. 2. Tim. 2. Rom. 16. Theoph. à nonnullis Lucam intelligi ait, ab alijs Barnabam, 2. Cor. 8. quòd præconium non scriptum, etiam vocetur Euangelium, & profectuum periculorumq; societatem in hunc magis quadrare existimat. Lucam verò in argumento, non solum artis medicinæ peritum, Col. 4. sed etiam in extranea Philosophia eximiũ celebrat, qui Hierosolymis probe Hebræorum disciplinis eruditus, Christo post resurrectionem cum Cleopa occurrerit, quod Nathanaëli quoq; tribui suprâ demonstratum est. Hier. in Esa. 7. refert, magis Græcas sciuisse literas quàm Hebræas, vnde sermo eius
sit

fit comptior. Theophilum septimum Episcopum Ecclesie Antiochenae, de quo Nicepho. chronol. tradidere quidam eum esse, cui sua scripta dicauit Lucas, primarium ciuitatis illius virum. Epipha. hære. 51. hoc nomen posuit, siue quod cuidam tunc Theophilo, siue cuiuslibet homini Deum diligenti scriberet. Sic Theophylactus virum senatorij ordinis & fortasse principem, cum Strenui nomen Principibus & reipub. præsidibus attributum sit: aut vnamquemque Dei amantem hoc nomine dignum intelligit. Hiero. catal. Tam vxore quam liberis caruisse Lucam indicat, & ætatis anno 84. in præfat. Actor. vel 74. in proœmio Euangelij decessisse in Bithynia. Vbi fieri potest, vt alterutro in loco mendum sit. Niceph. lib. 2. cap. 43. scribit, in Græcia de fructifera olea suspensum esse, quod aridi ligni ad crucem deesset copia. Euangelium eius mutilârunt Marcion, Iren. lib. 1. cap. 29. lib. 3. cap. 11. Epipha. hære. 42. & Valentinus apud Irenæ. lib. 3. cap. 14. Cerdon hoc solum, non tamen integrum recepit. Tertul. de præscrip.

IOSEPHVM ab ARImathæa, seu 72.
Ramatha honestum, nobilem ac diuitem senatorem, virum bonum & iustum, Theoph. Ioha. 79. etiam in hoc ordine collocat. Nam & Mat. 27. à Iesu disciplina fuisse legimus. Hunc ab

ab Apostolo Philippo post dispersionem ex Gallijs in Britanniam missum esse circa annum Domini 63. totoq; vitæ suæ tempore in illis regionibus doctrinam Christi tradidisse, Balæus ex Anglicis scriptoribus, inter quos & Gildum nominat, asseuerat. In Euangelio Nicodemi additur, quòd ob præstitum Christo sepulturæ officium in carcerem coniectus sit. Eusebius lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 1. Epiphanius hære. 20. & Sophro. Matthiam, qui in locum Iudæ sorte cooptatus sit, ex numero 70. Discipulorum fuisse perhibent. De quo Dorotheus ex Niceph. lib. 2. cap. 40. ita: Matthias cum esset vnus ex 70. Discipulis, vndecim postea Apostolis annumeratus est, atq; in interiore Aethiopia, vbi Hyssus maris portus & Phasis fluuius est, hominibus barbaris & carniuoris aperuit Euangelium. Sebastopoli mortuus est, ibiq; prope templum Solis humatus. Sophron. post ascensionem Christi in Aethiopiæ maximè agrestem partem concessisse scribit, ibiq; fato suo functum esse. Abdias Bethlehemi nobili familia Iudæ oriundum, & à Rabbi Simeone disciplina legis informatum tradit. Marul. lib. 5. lapidibus obrutum Hierosolymis, & Romano ritu securi percussum refert. Euseb. lib. 3. ca. 22. Euang. Matthiæ inter notha ponit, & ratione dignoscendi scripta Canonica annotat. Clem. 2. Strom. adducit ex Matthiæ traditionibus.

admi-

admirari præsentia, primum esse gradum vltioris cognitionis. Et 7. Strom. Si vicinus electi deliquerit, perinde est, ac si electus ipse peccauerit. Ac lib. 3. Ferunt Marthiam docuisse, carni esse repugnandum, & ita vtendum, quasi non vtaris, ne quid ei ad luxuriosam vitam indulgeatur. Eadem repetit Euse. lib. 3. ca. 26. Idem Euse. lib. cap. 13. 14. ac Nicepho. cum hoc consentiens, etiam Thaddæum (Hiero. in Mat. 10. eundem Lebbæum & Symeonem Zeloten ob insignem zeli in se virtutem dictum existimat) qui Abgarum seu Agbarum Edessæ præsidem curandum à Thoma legatus fuerit, ordini 70. Discipulorum accensent, quanquam Apostoli nomine dignatur. Sed de honore Thaddæo ibi habito deprehenditur discrepantia Dorothei, qui Thaddæum Beryti necatū, & honestè elatum asserit. Eius sententiam recitat Euse. lib. 1. cap. vlti. εἰ τὰ ἡμέτερα καταλελοίπαμεν, πῶς τὰ ἄλλότρια ληψόμεθα, id est, Cum nostra reliquerimus, quo pacto aliena accipere licitum est? Euseb. lib. 2. cap. 20. ex Hegesippo, Thaddæum Domini fratrem secundum carnem appellat. Epiph. lib. 1. to. 2. & lib. 3. filium Iosephi. Niceph. lib. 2. cap. 40. 44. vicinas regiones, Iudæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Syriam & Mesopotamiam percurrisse narrat, ac Edessæ post doctrinæ publicationem & miracula.

E

pla-

placida morte confopitum. Abdias, Vincen-
& Sabel. Enne. 7. li. 4. in Mesopotamia Eu-
angelium diu propagasse, tandemq; in Persi-
de Pontificū impetu interemptum produnt.

Historia Tungrensium Episcoporum te-
statur, Maternum, Eucharium & Valerium, à
Petro extrusos esse, vt Treuiris & Coloniae
docerent. Henri. Erphord. cap. 5. adijcit, E-
gistum (aliàs Aegisthum) vnum de 70. Di-
scipulis, Petri mandato in Germaniam profe-
ctum, & Bardouici ad fluuium Elmenauum,
non procul ab eo loco, vbi nunc Lunæburga
sita est, vnà cum Mariano Diacono rexisse
parœciam, ibiq; supplicio vtrunq; affectum.
Nauclerus genera. 2. tres simul eximios do-
ctores Rauennam ablegatos refert, Mater-
num scilicet, Valerium, qui Treuirorum
Episcopus designatus fuerit, &
Eucharium,

SEPTV-

S E P T V A G I N T A
C H R I S T I D I S C I P V L O
rum nomina secundum Nicepho-
rum Xanthiopum, à Dorotheo paululum va-
riantia, ex Ametris, Iambico trimetro
acatalectico genere exposita,
à M. V.

Q Vos septies dimisit in varia decem
Christus, ubi versaturus erat, orbis loca
Binos, recensent nominatim tradita
Temporibus antiquis: in his primas tenet
Paruus Iacobus frater Oblia Domini.
Hinc euocantur cum Cleopa Matthias,
Thaddæus, Ananias honestis moribus,
Merensq; testimonium popularium.
Stephanus fide plenus sacro cum flamine,
Philippus, & Nicanore Prochorus prior,
Timonq; Parmenasq;, tum consentiens
Cum gente Iudaica Dei de cultibus
Et institutis Nicolaus aduena,
Primi creati Diaconi septem, bonæ
Existimationis, & sapientia
Noti, peractas precibus, imposita manu.
Coniungitur quibus Silas cum Barnaba,
De quattuorq; Marcus & Lucas duo,
Qui prodidere gesta Christi literis.
Siluanus, excellens Epænetus in clyto
Nomine, primùm natus Achaico solo

Fructus, Galatiæ grata qui præconia
Fecisse Crescens traditur, vicesimum
Dic Andronicum, subijce dein Amplian,
Urbanus hunc excipit, Apellen vberi
Messi decus pulcro ferens germine Stachys.
Heret pari Phygellus Hermogeni, malè
Fidos Asia cognouit auersando te
Paule, sequitur Demas Apellen alterum,
Aristobulo subde Narcissum, tibi
Ab epistolis Claudii fuisse quem putant.
Absoluitur tali modo tertia decas.
Continuat ordinem generis Herodion
Originem Pauli trahens è familia.
Proximus Agabus, Rufus, exim Asyncritus,
Hermes, Phlegon, Herimasq; deinde Patrobas,
Tuscusq; natione Linus Ecclesiæ
Quem præfuisse statuimus Quiritium,
Sic concilia Christo frequentantum duce
Sociando Caium, quarta completur decas.
Philologum post explicatos colloca
Cum Rhodione aptans Olympan, insuper
Diuersus à priore Lucas ponitur,
Cum Sosipatro Tertius et Iasone,
Quartus, Corinthiæq; curator rei
Erastus: ô feruens Apollo spiritu,
Diserte, prudens, artibusq; prædite,
Sacrasq; callens litteras amplissimæ
Numerum cateruæ claude quinquagesimum.
Series alia quodam inchoatur auspice
Cepha, magistroq; synagogæ Sosthene.


Exim

Exinde Cæsar habetur, Asiaq; Tychicus
Oriundus & Marcus sobrinus Barnabæ,
Iustus homo pius, Epaphroditus, Artemas,
Clemens, & accensendo decimum sexies
Onesiphorus : alias Tychicus annectitur,
Dulciq; Carpo copulatur Euodus,
Tibi protinus Aristarchæ Marcus tertius,
Zenas, Philemon, mox Aristarchus iterum,
Pudens, coronamq; integram qui perficit,
Omnibus inuentis Trophimus adsciscitur.


Hoc opus exegi, Domini quo tempore nostra
Aduentum celebrans ως canit ἀννα fides.
Ergo Deo grates soluens præconia, curis
Pectoris & morbi mole leuatus ago.

Gloria in excelsis.

Vbi locum ramorum oleæ, pro myrti pal-
marumq; spathis, & secundum Tisbitem, sali-
cum viminibus, Leui. 23. Nehe. 8. hoc corol-
lariū annectere visum est, Hosianna Suidam
exponere gloriam : quemadmodum Clem. 1.
pæda. ca. 5. lucem, gloriam & laudem cum
supplicatione : Iusti. quæst. 50. magnificenti-
am excellētem. Eius opinionis causam suspi-
cor, quòd Luc. 19. legatur, δόξα ἐν ὑψίοις,
cū Matth. 21. & Mar. 11. extet, ὡσαννά ἐν
τοῖς ὑψίοις. Sed de vera cum scriptura no-
minis, tum interpretatione aliàs.







A



1552 84

AB: 1552 84


ULB Halle 3
003 006 034




SL

232.







Farbkarte #13

B.I.G.

SEPTUAGINTA CHRISTI DISCIPULORUM, siue ut nonnulli codices habent, alijsq; probatur auctoribus, 72. nominum ἀποκρῆσεις, & curriculum singulorum in Evangelij præconio historiolæ, e monumentis Ecclesiasticis depromptæ, ac secundum Dorothei seriem expositæ, à

M. MICHAELE VRANIO.

Smalcaldiæ,

M. D. LXXIX.